DISSERTATIONES
HISTORICÆ
QUATUOR.

I. De Atheiſmo; ſive Hiſtoria Atheiſmi in quâ multi Scriptores Vetuſti & Recentiores, impietatis falſò poſtulati, liberantur à turpi Atheiſmi ſtigmate; alii verò qui de Supremo Numine ſentire videntur minus rectè, corripiuntur meritò.

II. De Papatu.

III. De Origine & Progreſſu Chriſtianæ Religionis apud Britannos.

IV. De Regimine Eccleſiæ St. Gallenſis in Helvetiâ.

Accedunt Epiſtolæ Selectæ, vel conſcriptæ in uſum Sereniſſimi Gulielmi ducis de Cumberland, agentis annum ſeptimum.

Autore J. T. Philipps.



LONDINI:
Impenſis G. Meadows, Bibliopolæ, in vico Cornhill. MDCCXXXV.



A D

LECTOREM.



TA fuerunt omni tempore compoſita Eruditorum Ingenia, ut non modo *Alexandri Magni*, *Titi Veſpaſiani Cæſaris*, ſed & *Neronis*, *Cæſaris Borgiæ*, & *Alexandri* ſexti *Romani Pontificis* Hiſtoriam evolvant diligentèr, ut illos cognoſcant homines, qui impio auſu, non amore virtutis, inclaruerunt, & ut eo magis ſectentur pietatem & abhorreant à malo: quo certè conſilio, iſtorum hominum ego compoſui Hiſtoriam, qui publicè de Regum Rege

omnipotenti atque æterno DEO malè ſenſerunt; quorum effata impia, ſi unquam valerent, omnem rerum humanarum ordinem inverterent, & ipſum mundum unâ communi ſtrage ſepelirent. Sed non eſt hujus Epiſtolæ (benevole lector) inſtitutum, ingeminare bonorum omnium querelas, de hujuſmodi hominibus ſupra ſortem humanam ſceleratis, ſed apud me ſtat, pauciſſimis quam potero verbis, removere ſcrupulos ex divinâ Providentiâ non ita benè intellectâ natos, qui omni ævo malè habuerunt mortalium animos, multoſque in turpiſſimæ impietatis detruſerunt barathrum. Conturbantur enim, cum aliis argumentis, tum hoc præcipuè, quod in rebus humanis, multa videntur ſecùs evenire, quàm ipſi divinæ ſapientiæ ac bonitati convenire exiſtiment. Si humanarum rerum, inquiunt, procurationem haberet DEUS, foret, ut bonis & piis & juſti-

ſuſtitiæ cultoribus benè cederet, impiis & injuſtis malè. Quemadmodum ſcriptum reliquit Cicero.
" Debebant illi (Dii) quidem om-
" nes bonos efficere, ſi quidem ho-
" minum generi conſulebant; ſin
" minus, bonis certè conſulere de-
" bebant. Cur igitur duos *Scipio-*
" *nes* fortiſſimos & optimos viros
" in Hiſpaniâ Pœnus oppreſſit?
" Cur *Marcellum Annibal* intere-
" mit? Cur *Paulum* Cannæ ſuſtu-
" lerunt? Cur Pœnorum crudelita-
" ti *Reguli* corpus eſt præbitum?
" Cur *Africanum* domeſtici pari-
" etes non texerunt? Sed hæc ve-
" tera & alia per multa, propiora
" videamus. Cur avunculus meus,
" vir innocentiſſimus in exilio eſt?
" Cur ſodalis meus interfectus eſt
" domi ſuæ *Druſus?* Dies defi-
" ciat, ſi velim numerare, quibus
" bonis malè evenerit; nec minus,
" ſi commemorem quibus improbis
" optimè. Cur enim *Marius* tam
" feli-


" feliciter ſeptimùm Conſul do-
" mi ſuæ ſenex eſt mortuus? Cur
" omnium crudeliſſimus tam diu
" *Cinna* negavit? & multa ejus
" generis alia. *lib. iii. de Naturâ*
" *Deorum.*" Hujuſmodi antiquorum & recentiorum interrogatiunculis, reſponſiones ſunt in promptu, & rationes planè non contemnendæ, ex optimis authoribus hic collectæ, quæ & in tuam gratiam proponendæ veniunt, quarum prima eſt, ne, qui res magnas gerunt, propterea inflentur ac ſuperbiant, ſed ſubmittant animos, memores imbecillitatis ſuæ. Confirmatur hoc teſtimonio *Davidis* & *Pauli*, quorum ille bonum ſibi fuiſſe ait, quod à DEO depreſſus caſtigatuſque ſit, ſeque ex eo magis illius juſtitiam perſpicere: hic autem cum uſque ad tertium cœlum raptus eſſet, eaque vidiſſet, quæ vix homini in hâc vitâ videre fas eſſet, ne proptcrea ſibi placeret, neve inſoleſce-


ret, additum ſibi eſſe ait Angelum Satanæ, à quo quaſi colophis cæderetur. Altera ratio, ne cæteri mortales in errorem trahantur, & de præſtantibus viris, non ut de hominibus, ſed ut de Deis quibuſdam exiſtiment: à cujus erroris periculo liberantur, cum illos magnos & egregios viros multa perpeti vident, quæ illos non Deos, ſed homines eſſe declarant. Tertia eſt ratio, ut poteſtas DEI magis eluceſcat, qui per homines imbecilles, morbis obnoxios, egentes, carceribus & ergaſtulis clauſos, ea faciunt quæ omnium hominum expectationem longè ſuperant. Inſuper bonis viris omnia ſi proſperè ſuccederent, ſi colerentur ac ſuſpicerentur à cæteris, exiſtimaret vulgus, eos pietatem colere, non ſuapte ſponte, ſed illâ quaſi mercede allectos & invitatos, quemadmodum dicebat DEO, perpetuus ille humani generis hoſtis, *Non gratis te colit Job.*

Porrò

Porrò res adverſæ id efficiunt, ut homines tanto certius atque exploratius habeant, non omnia morte terminari, ſed ſupereſſe aliam vitam, in quâ præmium tribuatur juſtis, & ab improbis exigatur pœna: & quo plura acerba patiuntur boni, quo plures difficultates ſuperant, quo dimicant acrius, eo majoribus laureolis ornabuntur in perpetuum. Hiſce paucis, iiſque ſimplicibus rationibus ritè penſitatis, evaneſcent in auram omnes adverſus DEI providentiam cavillationes, quæ non ſanæ rationi ſed inordinatis animi affectibus (amori ſui ipſius cumprimis) originem ſuam acceptam referunt. Vale.

DIA-





DIATRIBE HISTORICA DE ATHEISMO. SIVE, HISTORIA ATHEISMI.

CAPUT I.

§. I. MIRE' placuit Viris doctis omni tempore ea ratio Controverſias tractandi, quæ iis ſubjungit earum Hiſtoriam, quippe quæ plurimùm commodi ſecum ferre creditur. Videmus enim Scriptorum indolem, vivendi modum, conditionem atque captum illius temporis, quo vixerunt; quales denique habuerunt Adverſarios, aliaſque circumſtantias, quæ

ſimul ignorantiam Lectoris, & omne tædium & animi laſſitudinem tollunt. Inde eſt, quod illi libri, qui de ortu & progreſſu alicujus Sectæ vel Hæreſeos agunt, ſemper in magno pretio ſunt habiti: Pelagianiſmi putà à G. J. Voſſio conſcriptus liber, vel hujus generis alii multo recentiores, ex. gr. Arminianiſmus, Janſeniſmus, Quakeriſmus & Quietiſmus, habuerunt ſuos ſinguli Hiſtoriographos. Ideóque nemo, quemadmodum ſpero, mihi vitio vertet, ſi Hæreſeos maxime omnium deteſtandæ hiſtoriam diligenter pro viribus contexam.

§. II. Sed ab initio eſt ordiendum, ut demonſtremus, & rationibus, & auctoritate Eruditorum, reverà dari poſſe tales homines, qui ſibi perſuadeant nullum eſſe ſupremum Numen, (vel, ut cum Theologis loquar,) dari Atheos Speculativos, contra ſententiam vulgò receptam, quæ aſſerit, nullum poſſe dari Atheum, propriè ita dictum, quia hæc propoſitio *Deus eſt*, cordibus hominum inſcripta, quæ quidem, ut in Atheis practicis, ſepeliri, ſed nullo pacto deleri poſſit. Quòd ſi verò Theologi benè attenderent, doctrinam de *Ideis innatis*, neque ſanæ Rationi, neque Experientiæ, neque Revelationi eſſe innixam; non eſſet, quod ità metuerent concedere, Atheos Speculativos aliquando poſſe dari. Innititur potiùs hæc doctrina de Ideis innatis Platonicorum decretis, ſtatuentium, æternas

nas esse animas, & nihil nos addiscere de novo, sed reminisci. Matthæus Palmerius Italus, non multum abhorruit à sententiâ Platonis, cùm statueret, animas esse Angelos, qui neque ad bonum, neque ad malum sese determinare voluerint, quamobrem Deus amandaverit eas in corpora, ut aut bono aut malo sese traderent. Si qua sint hujusmodi principia innata, in infantibus, utpote nullo vitio acquisito aut præjudicio infectis, maximè vigere debent; sed hic contrarium videmus. Infantes enim per aliquot continuos menses, præter sensum doloris atque voluptatis, caloris atque frigoris, vel ejus generis perceptiones alias, paucissimas existimantur possidere ideas; posthæc verò, cùm organa magis sunt firma, versando cum multiplicis generis objectis, diuturnitate temporis, infinitis ferè rerum ideis locupletant animum, atque ex his ratiocinando, formant sibi qualemcunque Dei ideam. Sed nè quando Lector hisce ratiocinationibus meis parùm videatur contentus, Johannis Lockii de *Intellectu Humano* librum consulat velim. Modum acquirendi rerum humanarum atque divinarum Ideas eundem esse, necesse est concedas, nisi fortè duplicem intelligendi facultatem incongruè affirmaveris, unam ad res naturales, alteram ad res divinas intelligendas, quæ hactenus affirmare sustinuit nemo, cùm contrarium abundè pateat vel ex hac unâ consideratione, quod nomina qui-

bus Deus & ejus attributa significantur, desumpta sunt à rebus creatis, & removendo quicquid sit imperfectionis, & retinendo omnes perfectiones. Ex. gr. Vocamus *DEUM Spiritum*, quæ vox latinè, græcè atque hebraicè denotat etiam *Ventum*, aërem subtilissimum, cujus proprietates, invisibilitas, velocitas, commodissimè Deo possunt tribui; unde liquet opus esse ut priùs cognoscam quid sit *Ventus.* Novi Deum esse *Ens* cogitans, sapiens & bonum, sed hæc omnia desumpta sunt ab humanâ mente, & ejus actionibus; idem dictum puta de aliis multis Dei attributis, atque appellationibus.

§. III. Docet, fateor, Apostolus, *Rom.* ii. 15. esse naturalem notitiam Dei, quæ comparari, & cordibus inscribi possit, contemplando opera creationis, ut inde facilè deleri nequeat; non verò quòd ante ullam contemplationem talis fuisset inscriptio, quod satis patet ex *capite* primo, *vers.* 20. *Invisibilia Dei jam inde à condito mundo, ex iis quæ fecit, mente perpensa pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum Divinitas.* Neque hilum valebit dicere, Paulum in secundo Capite loqui de *Notitiâ Innatâ*, in primo autem de *Acquisitâ*, cùm ex contextu videre sit, discursum esse continuum & scopum eundem, neque Apostolum credo fuisse ita Metaphisicis verbis addictum. His ritè consideratis, non est quod affir-

affirmare dubitemus, ſubinde inveniri talia hominum monſtra, quæ etiamſi veſpertilionum inſtar, interdiu coram, minimè compareant, nihilominùs in tenebris ſecurè circumvolitant. Sed quid multis, eo impietatis à nonnullis ventum eſt, ut verbis, ſcriptis, atque vitæ inſtitutis, certiora ſigna dant ſe nullum credere Deum eſſe, quàm multi, qui probi & religioſi haberi volunt, dant, ſe credere exiſtere divinum numen.

§. IV Sed ne cui parùm probentur argumenta, vocabo in partes Viros Eruditiſſimos. Clariſſ. *Tronchinus* in notis ſuis ad Syſtema Theologicum minus Wendelini Manuſcriptis, diſertis Verbis talia tradidit, *Credimus dari Atheos corde & conſcientiâ, nempe quando induraverunt corda, eò poſſunt devenire per frequentes repetitiones malarum cogitationum.* Inſuper alius auctor recens: *Sunt equidem, qui dubitant, an omninò detur Atheus Theoreticus? ſed experientiæ ipſi repugnare videntur. Etſi enim, inſita iſta de Deo notitia vix à quoquam mortalium ita ſupprimi poſſit, ut non ſubinde conſcientiæ morſus ſentiant, & veritatis vis vel illis invitis erumpat; fieri tamen poteſt, ut per ſummam animi malitiam quadantenus eandem reprimant, & hinc ſibi perſuadent, non eſſe Deum, idque verbis pariter ac factis teſtantur.* Neque video quid obſtet בלבו *in corde ſuo*, Pſal. 14. ita explicare, ut ſignificat *inſignem*

inſignem ſtultorum inſcitiam: qui eò impietatis pervenerunt, ut auſint *toto corde* credere, *nullum eſſe Deum.* Sed quid opus eſt pluribus, res ipſa, proh dolor! ſe aperit, triſtiſſimis his temporibus, cùm ſcelerata progenies non eo eſt contenta, in aulas principum, caſtra militum, & procerum ædes jamdudum irrepiſſe, niſi in domus civium, officinas artificum, & tantùm non in Colonorum Tuguria, ulteriùs ſerpat, & omnia in urbe & ruri peſtiferâ lue inficiat & corrumpat. Si quis iterum objecerit, nullum unquam fuiſſe qui ad ſupremum uſque diem ſcienter volenter perſtiterit Atheus, quin appropinquante morte, peſſimum quemque ad ſe redire & ſummum aliquod Numen, nolentem volentem agnoſcere: quicquid ſit hujus rei, non multùm laboro (etiamſi difficile forſan eſſet probatu, quia cor hominis fallax atque imperveſtigabile) ſufficit meo ſcopo dicere, Atheiſmum aliaſque Hæreſes neque diuturnitate neque brevitate temporis menſurandas, atque utì non immeritò vocamus eos Socinianos, qui per aliquot annos vel menſes pugnant contra Divinitatem noſtri Redemptoris, non ſecùs ac ſi hoc feciſſent per totam vitam; idem dictum puta de Atheiſmo.

CAPUT

Caput II.

§. I. HÆC ſi tam vera ſint quàm quæ veriſſima, horreſco quidem referens, operæ pretium duxi, præcipuas hic Atheiſmi cauſas proponere. Imprimis hic exiſtimo culpandam eſſe vaniſſimam quorundum de *Fato* ſententiam, quæ per aliquot mille annos mortalium animos magnoperè moleſtavit, utpote ſuſtinens, ab omni æternitate omnia ita deſtinata fuiſſe, ut nullis conſiliis vel auxiliis, id quod eſt in fatis evitemus, vel mutemus; imò nec concilio prudenti, nec remedio ſagaci, fatalem diſpoſitionem ſubverti vel reformari poſſe. Stoici fatalem cauſarum concatenationem poſuerunt, cui & ipſe Jupiter obnoxius, ſecundúm dictum *Senecæ: Eadem neceſſitas & Deos ligat atque homines, irrevocabilis Divina pariter atque humana curſus rapit.* Hinc incongrui, informes & triſtes de DEO conceptus, qui hominem captioſum atque curioſum facilè in Atheiſmum detrudent, vel in Fatum phyſicum, quod omnia fieri neceſſariò ſtatuit, per concurſum atomorum. Nos Chriſtiani, qui meliora novimus, diligenter quoad poſſumus, fugiamus hujuſmodi Philoſophorum quæſtiones, quæ rixas generant maximas, & parùm vel nihil ædificant. Quod facilè eſt factu, ſi ſemper cum Scripturâ loquamur, tribuendo omne bonum DEO, & omne malum no-

ſtræ

ſtræ voluntati. Operationem divinam, quod attinet in noſtras voluntates, ſufficit dicere, nequaquam eſſe vim, neque tantùm eſſe ſuaſionem, ſed ſummam efficaciam, quâ tollitur prava voluntatis diſpoſitio. Viri prudentis eſt, nihil ſupra vires ſuſcipere, & ſi quæ ſint quæſtiones, quæ captum noſtrum videntur tranſcendere, eas planè detrectare, aut modeſtè admodum de iis diſputare, quia in hiſce diſputationibus docti atque indocti ſunt pares, quia æquè infeliciter diſputant.

§. II. Adde hoc ſummam Parentum, atque Præceptorum incuriam, quâ negligitur præcipuus Religionis articulus coli & juventuti inculcari, ita ut paſſim invenias viros ætate graves, articulorum qui reſpiciunt myſteria fidei Chriſtianæ, apprimè gnaros, cujuſcunque officii civilis & religioſi mirè peritos, quòd ſi eos tamen rogaveris, ut dignentur argumenta aliqua proponere, quibus probetur DEI Exiſtentia & animæ Immortalitas, planè obſtupeſcunt ſubitò, ceu fulgure aliquo afflati & percuſſi, ut nihil habeant (niſi fortè maledicta) quod reponant. Unde quæſo tanta ſtupiditas & ignorantia? niſi inde quòd volumus haberi Chriſtiani non vulgares, cùm intereà officia hominis plerumque nos lateant. Faverunt quidem ſtupiditati Ariſtotelici, aſſerentes, cum negantibus principia non verbis ſed verberibus eſſe diſputandum. Longè melius de re Chriſtianâ merentur Viri egregii

egregii noſtri temporis, qui de induſtriâ Theologiæ Naturali excolendæ operam non inutilem locârunt, quo conatu nihil efficacius eſſe poſſit ad ſiſtendum Atheiſmi curſum. Utinam omnes, qui Catecheticas inſtitutiones in uſum juventutis Chriſtianæ ſcribendas ſuſcipiunt, hoc feriò ſecum reputarent, hoc enim ſi facerent, non tam levi brachio, vel ut fieri ſolet, intactis fundamentis religionis naturalis, ad alias quæſtiones difficiliores properarent. Conandum eſt potiùs in primo limine demonſtrare differentiam inter Spiritum & Corpus, quæ captum juvenilem neutiquam ſuperat, modò perſpicuitati ſtudeamus: & hac unâ differentiâ ritè explicatâ & perceptâ, impoſſibile videtur, ut quis fiat Atheus.

§. III. Inter primarias Atheiſmi cauſas, ponenda eſt ſuperſtitio, quæ à Græcis δεισιδαιμονία nominatur, id eſt, ſervilis timor DEI, qui etiamſi de Exiſtentiâ DEI non dubitat, triſtem tamen & noxium eſſe credit, et talem DEUM truculentum, & minimè benignum, nemo equidem ſecretò dubitabit carpere, & planè negare (ſi exiſtit) illum debere ex jure diutiùs exiſtere. Quocircà quid mirum, memoriæ traditum eſſe nonnullos antiquos philoſophos ad purum putum Atheiſmum, inter Athenienſes potiſſimùm lapſos fuiſſe. Nam nulla unquam reſpublica quicquam tetrius, aut magis ab omni ſapientiâ atque pietate alie-

num, publicis legibus ſancivit de religione, quàm populus Athenienſis. Sed probè diſtinguendum inter ſuperſtitionem inconditaſque hominum inventiones ad vulgus innocuum circumveniendum compoſitas, & verum DEI cultum.

§. IV. Neque tacenda eſt deteſtanda illa animi ſuberbia faſtuſque, quo plus nimio tribuimus noſtro ingenio, Solis æterni radios divinarumque perfectionum profunditates, luſcis oculis contemplari, & ſtolidè, lineâ heu nimis brevi, tentare volumus: ex hoc animorum faſtu & elatione provenit tantus ſacrarum literarum contemptus, nova mundi ſyſtemata *Moſaico* ex diametro oppoſita, unde ſi credere fas eſt, etiam novi orbes provenient. Et quamvis omni contentionis genere, ad debellandam iſtam animi curioſitatem & impotentiam urgeat nos ſana ratio, & purior doctrina, nihiloſeciùs inſiſtunt ſuis ceptis, donec tandem, permittente irato DEO, tantoperè obdurentur corda, obducto callo, ut nihil amplius credere velint, niſi allatâ demonſtratione mathematicâ: hinc Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta, pro farragine variorum tractatuum, à variis proprio motu conſcriptorum exiſtimantur. Hæc ſanè cauſa, iniquit *Spizelius*, in Scrutinio Atheiſmi, cur *Petrus Bembus ad Sadoletum veniens, eumque in enarratione loci alicujus Biblici occupatum deprehendens, illud eructavit:* *omitte*

omitte has nugas, non decent gravem virum tales ineptiæ. Et *Lazarus Bonamicus*, blasphemo fastu dicere non erubuit, se odas pindaricas Psalmis Davidicis præferre. His adde *Angelum Politianum*, qui roganti, *an Biblia legeret?* cum fastidio respondisse dicitur, *semel perlegi librum illum, & tempus nunquam pejus locavi.* Sed antequàm ad alia transeamus, infami stigmate notandi sunt illi, qui sub prætextu Atheismi expugnandi, eum intereà firmant & stabiliunt reverà, infirmando antiquorum argumenta valida, & omnibus obvia, & loco horum substituendo rationes metaphysicas & subtiles, quæ captum vulgarem transcendunt, & superant; hinc antiquorum contemptus, novorum atque difficiliorum inordinata desideria: quæ argumenta nova, cùm discutienda veniunt & æquâ lance ponderanda, evanescunt in auram, leviora vento; et veteranis argumentis anteà rejectis, mens humana fluctuat & vacillat, Atheis seriùs citiùs in prædam cessura. Insuper viri docti & aliàs pii, qui scribunt contra Atheos, sæpè sæpiùs argumenta hauriunt solummodò ex Sacra Scriptura, quâ sane methodo nihil infelicius, aut tristius esse potest, quia allegando Sacras Scripturas, supponimus DEUM existere, à quo illas emanâsse credimus. Quòd si cum Atheo tibi fuerit confligendum, incumbit tibi hanc propositionem, *DEUS est*, aliasque multas veritates probare, alioquin frustra planè alle-

gaveris Scripturas; imò Atheum magis atque magis in opinione ſuâ firmaveris; quemadmodum ſi cum Judæo vel Turcâ diſputandum, neceſſe eſt habeamus principia communia, & ab utrâque parte conceſſa, ut ſuo gladio jugulemus adverſarium. Ex Scripturæ Sacræ indole, ex ſublimitate puta rerum contentarum, ex conſenſu partium, aliiſque ejus attributis argumentari licet; non ſecùs ac ex mirandâ naturæ partium conſenſione, *&c.* Propter ſubtilitatem ſuam nimiam fuere plures, qui improbârunt methodum *Carteſianam*; & *Spizelius, in Scrutinio Cauſarum Atheiſmi*, eam perquàm acerbè tractat & minimè comiter; *Cum enim*, inquit, *(inter* Gallos *educatus) Mercurium Gallicum profundè biberit, & latentèr ſua philoſophemata per* Belgium *diſſeminârit, hactenuſque unanimos, etiam armârit in prælia fratres; ſubiit quorundam mentes, num ingenuè, an per inſidias philoſopharetur; imò apertè quidem novam iſtam Methodum examinando,* Carteſium *cum* Julio Cæſare Vanino, *Atheorum aquilâ, comparare auſi, & potius calcem & lateres ad Atheiſmi muros erigendos, quàm ſubvertendos ſubminiſtrâſſe opinati ſunt.* Fateor, hac in parte Carteſium à multis corripi, & inter alios à *R. Cudworthio*, in ſuo *Syſtemate intellectuali*, qui eum affirmat DEUM otioſum & inertem ponere; & alius Scriptor Anglus anonymus, qui ſcripſit doctiſſimè contra præexiſtentiam animarum, vocat *Carte-*

Cartesium crudelissimum, & truculentissimum lanionem, cùm non aliquas hecatombas tantùm, sed brutorum species integra suo philosophico mactaret, ut eum alacrius doceret Artem Mechanicam. Hinc multi sibi timuerunt, nè forsan, & ejus discipuli *Animas humanas* haud magis comiter, vel benigniùs tractarent. Sed quicquid sit de ejus Metaphysicâ, in Physicis eum multò præstitisse, à paucis negabitur; neque vellem temerè tantum virum insimulare Atheismi, qui tam clarè ac distinctè Materiæ atque Spiritûs naturam atque indolem explicuit, & à se invicem tam accuratè distinxit; quantum ad multa alia ejus argumenta, valeant quantum valere possunt.

§. V. Huc accedunt Theologorum digladiationes et animorum acerbitas, de articulis etiam non rarò, qui neque bonos mores respiciunt, neque vitam æternam; attamen si quis à receptis systematibus discesserit vel latum unguem, væ homini! de omni spe amicitiæ conclamatum est, et in Papatu, pro hæretico habendus, et vivicomburio, ni palinodiam cecinerit quantociùs puniendus: qui procedendi modus, procul omni dubio, spectantium animos tepore aliquo, vel potius odio, adversus omnem religionem imbuit. Neque omninò hac in parte excusandi sunt Protestantes, qui nescio quo malo fato, etiamsi benè inter se conveniant de omnibus, quæ ad sa-

lutem

lutem ſunt neceſſaria, nihilominus tamen de factitiis fidei articulis, primævis Chriſtianis incognitis, de rebus cultum externum ſpectantibus, de vocabulorum atque ſyllabarum apicibus, aut denique de rebus captum noſtrum longè ſuperantibus, omni laterum contentione, et animorum diſſenſione, in ſe invicem ità acerbè invehuntur, ut facilè poſſis conjicere, ex odio adverſarii, potius quàm amore veritatis, iſtas infinitas rixas deductas fuiſſe: inde homines, de religione parùm benignè ſentientes, conſulunt principibus, ut omnem religionem negligant, affirmantes, quòd princeps pacem & concordiam perpetuam ſic demum obtinere poſſit imperio, ſi omnes rixas & odioſas quæſtiones, quas Theologi excitare ſolent, acriter prohibeat; ex iſtis enim diſputationibus, oriri diverſas Sectas, quibus diverſi adhæreant, atque ſic mutuis erga ſe invicem pugnis ſtimulatis, diverſa judicia, odia, convitia & calumnias naſci aiunt, quæ inteſtino bello, nonnunquam haud exiguam, præbeant occaſionem. Inſuper inexplebilis amor habendi, & animi tumor ſacerdotum potiſſimùm primarii ordinis, qui ſine ullà exceptione loci atque temporis multis profectò viris optimis magno ſunt, fuerunt & futuri ſunt offendiculo.

§. VI. Nec ſatis, proh dolor! lugere poſſumus vitæ morumque diſſolutionem,

quæ

quæ prima & ferè unica caufa Atheifmi nuncupanda venit, quia turpis et impura praxis, et melefana Theoria aliquo modo fe invicem ponunt et tollunt. Ità ut qui femper fcientes volentes malè agunt, de iis jure dubitetur, an de DEO rectè fentiant, certè hi nihil magis cupiunt, quàm ut nullus DEUS exifteret, ut repagulis omnibus remotis, timore fcilicet divini vindicis, et ultimi judicii, remoto, hilariùs et liberiùs cupiditatibus fuis indulgere poffint. Huc fanè tendunt innumeræ bonorum querelæ et exclamationes: *Sicut bona opera*, inquit *Cyprianus*, *profitentur DEUM, ità mala, quodammodò loquuntur, non eft DEUS, nec eft fcientia in excelfo.* Hinc Apoftolus Tit. I. 16. *Profitentur fe deum noffe, fed factis eum abnegant.* Quâ inutili ac nudâ cognitione, Chriftianorum maxima pars ita eft capta, ut credat religionem nihil effe aliud, quàm ritum civilem vel ecclefiafticum, inane nomen et prætereà nihil: neque mirum, fi benè attenderis, difciplinam Ecclefiæ primitivam paffim locorum jacere; ut homines impuriffimi, nullâ pœnitentiâ publicè factâ (quemadmodum factum legimus in purioribus Ecclefiæ feculis) redeant in gremium Ecclefiæ, quamprimûm à Paftoribus, vel à Confiftoriis veniam petant. Hinc eò impietatis deventum eft, ut vix habearis Urbanus, nifi et vitiis penè obrutus. Sunt quidem et alii viri principes, aliique viri boni cujufvis ordinis, qui praxin

Chrif-

Christianæ pietatis, heu! nimium inclinatam, restaurare sedulò laborant, neque irrito planè successu, quin indies aliqui vitiis anteà dedititissimi, ad bonam frugem se redigi patiuntur. Qui, bonorum omnium in reformandis Christianorum moribus labores, prosperos ut habeant successus, DEUM Optimum Maximum vehementur veneror!

§. VII. Inter causas Atheismi multi numerant quoque perversam Sapientiæ naturalis tractationem, dum impio ausu et temerario, intra Naturæ limites atque cancellos, omnia volunt compingere, causasque duntaxat secundas, posthabitâ aut neglectâ primâ, observantes: hi quippe rerum abstrusarum, mysteriorumque Naturæ studio mancipati, videntes rerum naturalium semper eodem tenore se habere, nonnunquam Atheismi in barathrum dilabuntur; existimantes nullum planè esse moderatorem Universi, sed unamquamque rem suopte ingenio hos et illos cursus peragere. Ita olim impii argumentabantur, 2 Petr. iii. *Ex quo patres dormiêrunt, omnia sic perseverant:* cùm tamen è contrario, ex ordine constantique rerum tenore, concludere debuissent, reverà sapientissimum esse Moderatorem, qui modo convenientissimo, et sapientiâ ineffabili, hæc omnia in debitum ordinem redegirit, atque adhuc conservet. Huc referuntur, *Spizelio* judice,

Medici nonnulli, atque Philoſophi, imprimis Italici, quorum ſcripta ſapiunt paſſim impietatem; hoc ipſo nomine, ſuæ quoque profeſſionis ſociis, ſuſpectus eſt *Hieronymus Cardanus*, adeò ut *Merſennus in Geneſ.* p. 602. illum Atheis maximoperè faviſſe contenderit. Ad hanc claſſem quoque redigendi ſunt ii, qui uni atque alteri experimento de virtutibus magneticis ſeu Idiocraſibus, de virtutibus Imaginationis atque Conſtellationis, perpetuò inhærentes; legibus iſtis etiam ſupernaturalia ſubjicere, ex iiſque omnes quoſque ſtupendos effectus deducere non erubeſcunt. Sed quòd Naturalis Philoſophiæ ſtudium tendat ſuâ indole ad Atheiſmum, tantum abeſſe mihi videtur, ut nihil magis ad eum radicitùs extirpandum conducere poſſit, utpotè armamentarium quoddam, unde omnis ferè generis arma produci poſſunt, ad hoc monſtrum debellandum. Nec ineptè *Baconus in Lib. de Augmentis Scientiar.* concedit *leviorem aliquem guſtum rerum naturalium inclinare animum ad Atheiſmum. Sed pleniorem hauſtum magnoperè pro divinâ mente ſanctiſſima militare.* Unde conſtans philoſophorum antiquorum ſententia, affirmat eſſe DEUM, ut videre eſt apud *Authorem libri de Mundo, Vetus Sermo eſt, à majoribus proditus, inter omnes homines, Univerſa tum ex DEO, tum per DEUM conſtituta fuiſſe, atque coagmentata, nullamque naturam ſatis inſtructam eſſe poſſe, quæ citra DEI præſidium,*

ſuam demum tutelam diu manſuram. Et iſti veteres phyſici, qui Atheiſmi poſtulantur, profectò ſunt pauci, & ab aliis omni tempore ut monſtra hominum habiti: & ſi quæ ſint nationes ità rudes, quæ nullum numen nôrunt, quod referunt recentiores peregrinatores, barbari ſunt, non naturæ indagatores, quos commodiùs dicas DEUM ignorare, quàm ejus exiſtentiam negare. *Galenus de uſu partium*, differens de humano corpore, in laudem Creatoris hymnos componere ſe contendit: neque omittenda verba *Paracelſi*, *Tract. de Mineral. Oppidò*, inquit, *admirabilis in ſuis operibus DEUS, à quorum contemplatione nec interdiu, nec noctu deſiſtendum, ſed jugiter illorum indagationi vacandum, hoc enim eſt ſenſu ſatis proprio, ambulare in viis DEI.* Adde huc, quod ſolers naturæ indagator ſatis percipit, nulla phænomena clarè poſſe explicari, ſi negaveris eſſe DEUM; cauſam equidem proximam intelligimus omnium ferè operationum, motum puta, ſed unde ipſe motus cùm materiæ non ſit eſſentialis, quæ nunquam niſi ab alio movetur, debes, velis nolis, aut ignorantiam agnoſcere, aut DEUM ponere primam rerum omnium cauſam, & motorem. Videre expedit nobiliſſimum *Boyleum*, *de Uſu Philoſophiæ Naturalis etiam in Theologiâ*. Conſule inſuper doctiſſimum *Johannem Raium*, *in libro*, cui titulus: *The wiſdom of GOD manifeſted*

in

in the works of the Creation. Vid. Derhami opera de hac re elegantiſſima.

§. VIII. Neque opinor abs re eſſe Phyſiologiam atomicam in ſpecie ab omni ad Atheiſmum propenſione vindicare, quæ apud multos non benè audit, ſed injuriâ, quod patebit paulò infrà, cùm ideam generalem hujus Philoſophiæ propoſuero, quam verbis breviſſimis ſic habeto: Philoſophia atomica ſtatuit, materiam nihil aliud eſſe, niſi maſſam extenſam, ad quam pertinet magnitudo, indiviſibilitas, figura, poſitio, motus, quies, diverſi ſcilicet extenſæ ſubſtantiæ modi. Hinc omnes formæ ſubſtantiales excluduntur; quia abſque earum operâ commodiſſimè poterant explicare phænomena corporea, quæ oriebantur ex diverſis materiæ diſpoſitionibus, diverſa poſteà in nobis phantaſmata excitantibus, alioquin aut iſta antiquiſſima regula Philoſophorum, *Ex nihilo nihil fit*, penitus fuiſſet everſa, cum ingens formarum ſubſtantialium turba perpetuò ex nihilo fieret, quoniam in materiæ ideâ non comprehenduntur, aut, quod multò eſt abſurdius, DEUS ſine ullâ cauſâ in ſcenam adducendus ad creandas formas ſubſtantiales: quia conſtans fuit opinio omnium Philoſophorum ante tempora *Lucippi* & *Democrati*, duas eſſe ſubſtantias diverſas in mundo, *Materiam* ſcilicet extenſam διαςατὸν ἀντίτυπον, quam anteà deſcripſimus; atque *Mentem* ſive *Spiritum*,

 qui

qui nihil habet cum materiâ commune, ſed omnes ejus propietates ſunt diverſiſſimæ, putà cogitatio, dubitatio, imaginatio, memoria, atque ſui ipſius conſcientia, quæ nullo pacto materiæ competunt; quantumvis enim materia ſit ſublimata atque rarefacta, uſque habebit omnes qualitates eſſentiales corporis cujuſvis craſſiſſimi. His ſuppoſitis non miraberis, veteres philoſophos tenaciſſimos fuiſſe hujus regulæ, *Ex nihilo nihil fit:* ut firmiſſimè aſtruerent immortalitatem animæ, cùm, ut jam dictum eſt, ſit Ens ſubſtantiale à materiâ diſtinctum, & non ejus modificatio aliqua immutabilis, & cum nulla ratio dictet annihilationem ullius ſubſtantiæ, alioquin timendum, nè ſucceſſu temporis, omnes ſubſtantiæ annihilarentur, imò omnis materia, quippe quæ animâ longè ignobilior. Eadem hypotheſis fortaſſis eos movit and animarum præexiſtentiam ponendam & tranſmigrationem; quia ſatis videbant à materiâ non poſſit derivari, cùm in materiæ conceptu neque cogitatio, neque imaginatio, neque conſcientia ſui, vel memoria includatur; alioquin actum fuiſſet de ſuprà dictâ regulâ, *Ex nihilo nihil fit:* unde patet Materiam & Mentem, haberi ſubſtantias diſtinctas, atque ex iis duabus abſolutum & perfectum fieri philoſophiæ ſyſtema, quæ ſi ſejunxeris, neceſſariò eris Hæreticus; & ſi materiam ſolam adhibueris negando nullam aliam eſſe ſubſtantiam, eris Atheus:

quod

quod *Leucippus* & *Democritus* fecerunt, ut in ſequentibus videre eſt. *Plato* autem, contrà, plus nimio ideis ſuis indulgens, affectiones materiæ non ità clarè explicuit, quod ſi atomicè de materiâ pholoſophatus fueris, & Platonicè de Mente vel Spiritu diſputaveris, meritò habeberis philoſophus orthodoxus; quod feciſſe veteres philoſophos, ante tempora *Leucippi* atque *Democriti*, abundè demonſtrabo: unde liquebit iſtam philoſophiam, nullam habere cognationem cum Atheiſmo, cùm omnes iſti antiqui philoſophi, quorum mox meminero, eſſent atomici, ſimulque ſupremi numinis cultores obſervantiſſimi. *Pythagoras*, exempli gratiâ, videtur fuiſſe atomicus; *Gaſſendus* enim obſervavit, atomos *Epicuri* aliquando etiam vocari monadas; atque *Ariſtoteles* diſcurrens de ſectâ Pythagoricâ, & eorum monadibus, dicit, ὐδὲν διαφόρει μονάδας λεγειν ἢ σώματα σμικρά. (i. e.) Nihil intereſſe inter monadasPythagoricas,& minima corporaſive atomos; neque dubitat *Cudworthius* aſſerere hanc philoſophiam, per atomos, eſſe veram & genuinam *Moſaicum*; cùm *Jamblicus*, affirmet *Pythagoram* ſuam philoſophiam hauſiſſe à *Mocho*, vel *Moſcho*, Phœnicio aliquo, ſui temporis celeberrimo, & apud *Athenæum* citato; quem *Arcerus Jamblichi* publicator, conjicit fuiſſe *Moſem Hebræorum*, cum quo *Sidone Pythagoras* colloquia habuit. Quam conjecturam *Seldenus*, & poſt eum *Huetius*, minimè improbant,

ſed

ſed multò prudentius *Stanleus*, *in vitâ Pythagoræ*, cum ſucceſſoribus *Mochi* illum colloquia habuiſſe, cùm aliàs ratio temporis non patitur ut cum ipſo *Moiſe* colloquutus fuerit. Inſuper *Empedocles*, apud *Plutarchum*, judicat, quatuor elementa ex minimis corpuſculis conſiſtere, quæ appellat *elementa elementorum*; porrò *Elephantus Pythagoriſta* Syracuſanus apud *Stobæum*, facit Τὰ ἀδιαίρετα σώματα καὶ τὸ κενὸν, ſcilicet, indiviſibilia corpuſcula & vacuum, principia ſuæ phyſiologiæ. Multique alii atomorum cultores qui tamen ab Atheiſmo maximoperè abhorruerunt, quos invenies apud *Cudworthium*, *lib.* 1, *cap.* 1. Hæc breviter proferre non piguit, ne mendace famâ à ſtudiis omnium nobiliſſimis abſterreantur optimi juvenes. Philoſophiam quoque Ariſtotelicam ad impietatem propagandam multum contribuiſſe à nonnullis creditur, cùm mundi æternitatem doceat de immortalitate animi nihil certi ſtatuat, virtuteſque quas explicat nullam ferè pietatem erga DEUM urgeant, ſed ad tranquillitatem vel utilitatem civitatis promovendam unicè ſpectant. Neque hoc exſcribam, quæ Sorboniſta *Launojus*, *de variâ Ariſtotelis fortunâ*, in univerſitate Pariſienſi uberrimè, poſt multa patrum eccleſiaſticorum teſtimonia, ex documentis publicis & privatis congeſſit, varia contra eum lectori curioſo ſiſtens, ex quibus ſatis conſtare poteſt ſuperque, *Ariſtotelem* non ſemel nec unicè

eccleſiæ

eccleſiæ doctoribus de *Atheiſmi* crimine ſuſpectum fuiſſe, viſumque ideò indignum, cujus doctrina juventuti teneræ in publicis gymnaſiis & univerſitatibus non ſine periculo ſeductionis proponeretur.

Denique diſſoluta vita academicorum ad genus humanum corrumpendum multum contribuit, hi enim animos, corpora & fortunas curaturi, authoritate plurimum valent apud alios hominum ordines, quamobrem ſi DEI immortalis ſint parùm memores, totus grex facilè inficitur; academiæ hujus temporis, pietatis templa, modeſtiæ & humanitatis paleſtra, & virtutum omnium officinæ eſſe certè debent, in illis tamen malè feriati juvenes, nullius planè frugis nidificant, nullâ delectione ingeniorum aut bonorum morum ratione habitâ. Huc faciunt verba *Brunnamanni*, *in Jure Eccleſiaſt. lib.* 1. *Vita ſtudioſorum academica moderna, forti reformatione indiget, ne incidant porro in Neoſophos, Chriſtianiſmi noſtri veriſſimi hoſtes & inſectatores, qui hæc quatuor ſtudia in academiis tractanda eſſe putant, diſputare, armis dimicare, potare, boare, pauciſſimos verò ſanctam pietatem practicare.* Ejuſdem generis ſunt quæ ſequuntur: *Vita ut, proh dolor! plurimum à ſtudioſis, præſertim in academiis imò à theologiæ cultoribus tranſigitur, vita eſt penè ethnica, imo diabolica, & nihil Chriſti regulis magis contrariatur, quàm regula inter eos conſueta; ut qui ſtudioſus vocetur optimus, Chriſtianus exiſtat*

peſſimus. Dantur tamen, DEO ſit gloria, nonnulli optimi juvenes à corruptis ſodalium moribus abhorrentiſſimi, & dolendum ſanè communiter ferè majorem rationem haberi magnæ doctrinæ quàm conſpicuæ pietatis, cùm omnis doctrina eſt, demptâ pietate, venenum: & docto nebulone nihil ſanè Reipubl. aut Eccleſiæ funeſtius aut infelicius eſſe poteſt.

Caput III.

§. I. PRIUSQUAM ad Atheorum hiſtoriam ventum fuerit, neceſſe eſt, ut vocem *Atheus* ad unam ideam reſtringamus; quippe quæ plures habet ſignificationes, valdeque æquivocè paſſim uſurpatur ab authoribus, ità ut ſingulæ ſectæ diverſæ, ſe invicem opprobrii cauſâ Atheos vocitent. Sic Apoſtata *Julianus*, Chriſtianiſmum vocat *Atheiſmum. Sozom. lib.* 5. *cap.* 15. imo ante *Julianum*, Chriſtianæ fidei profeſſores vulgò Atheos fuiſſe nuncupatos, conſtat ex *Clem. Alex, Strom. VII.* apud Judæos *Epicureus* ſcil. *Atheus*, & מין ſcil, *Hæreticus* & *Chriſtianus* ſunt ſynonyma, ut videre eſt apud *R. Moſ. Maimon. tract. Idololatr.* Sunt & Pontificii, qui eccleſias noſtras turpiſſimo Atheiſmi ſtigmate notare non erubeſcunt. Sic *Cornel. à Lapide* in

in 2 *Tim*. 3. *aſſerere non dubitat Lutheraniſmum & Calviniſmum tandem abire in Atheiſmum, eorumque aſſeclas fieri Libertinos.* Qui quoſdam ex ſuis ſæpè ſæpius eodem ſtigmate deturpat, Gallos puta & Venetos, qui nutibus Curiæ Romanæ ſe non mancipârunt. Vide *Spizelium:* imò neque *Eraſmus*, neque *Grotius*, *Puffendorfius*, &c. potuerunt fœdam hanc Atheiſmi notam evitare, ea eſt in ſcriptoribus quibuſdam eccleſiaſticis acerbitas animi & iniquitas, ut ſi quis vel minimum ritum aliquem hoc tempore inutilem vituperaverit, Atheus eſt habendus. Sed calumnioſâ hâc ſignificatione nunc miſſâ, nos intelligimus, per Atheum, hominem talem, qui aut ignorat eſſe Supremum Numen (ùt fortè nonnulli inter incultas nationes atque barbaras, qui beſtiarum more nihil ferè cognoſcunt, niſi quæ ad victum & libidinem attinent, ſi qui tales ſint eos docere oportet ratiocinari, ut ſeipſos & res creatas cognoſcant) aut qui credit & ſibi perſuadet nullum eſſe DEUM, vel ſaltem jugiter dubitat, an exiſtat, etiamſi aliquando habeat ſuos conſcientiæ morſus atque ſcrupulos (fiducia enim nulli ſectæ eſt eſſentialis) Chriſtiani etiam habent ſuos ſcrupulos, qui tamen neutiquam deſtruunt eorum Chriſtianiſmum: ſed de his ſupra. Vocantur & Athei paſſim, qui providentiam, animæ immortalitatem, reſurrectionem atque ultimum judicium negant; per conſequentiam, & indirectè, concedo, ſed

E ſi

ſed ſi illi ipſi conſequentias noſtras non agnoverint, non illicò Atheiſmi ſtigmate ſunt notandi, etiamſi craſſiſſimum errent errorem, reſpectu Religionis Chriſtianæ. Ideóque debemus magis propriè loqui addiſcere, atque res quaſque denotare ſuis nominibus, alioquin viri probi per calumniam probroſâ atque execrandâ iſtâ appellatione nominandi venient. Apud *Voetium* tot diviſiones, ſubdiviſiones, tot gradus Atheiſmi, atque ſpecies, ut omnes mortales in unâ harum claſſe vel alterâ, tantum non recenſendi veniant, & in hoc mundo ſpectabili DEO nulli relinquuntur cultores.

Prætermiſſis itaque omnibus diviſionibus parum neceſſariis, diſpeſcimus illos homines, qui dicuntur Numen Supremum negâſſe, in tres ordines; quorum primus erit illorum antiquorum philoſophorum, de quorum *tamen Atheiſmo nihil certi habetur.* Sed adhuc ſub judice lis eſt, quià proculdubiò malè audiebant omnes, qui de ſimulacris & pluralitate Deorum non ita benignè ſentiebant. Deinde accuratiùs tractabimus de iſtis, qui videntur ex propoſito contra exiſtentiam DEI diſputâſſe, qui poſſunt nominari Athei ſyſtematici. Denique de iſtis qui identidem apud hiſtoricos ſummo cum contemptu de DEO loquentes inveniuntur, quinimò ejus eſſentiam planè negare, ſed ſuas blaſphemias nullis argumentis ſuſtinere. Hos homines vocat *Cudworthius* Atheos enthuſiaſticos. De antiquitate Atheiſmi, ex ſacris literis nihil conſtat, quum

3 *Moſes*,

Moſes, in Hiſtoriâ Creationis, nullis controverſiis ſe immiſceat, ſed res geſtas fideliter enarrat, neque veriſimile eſt, in primordiis mundi & incunabulis, fuiſſe Atheos, cùm origines rerum cum poſteris à majoribus, utpote grandævis commodiſſimè poſſent communicari. Antediluvianos impensè fuiſſe ſceleſtos abunde conſtat, ſed nullum eos agnoviſſe Numen nullibi liquet. Neque ſtatim poſt diluvium videntur fuiſſe Athei, cùm á filiis Nohæ ad ſeros nepotes hiſtoriam diluvii atque cauſas traditas fuiſſe ſit veriſimile; imò adeò primævis temporibus abhorruerunt ab Atheiſmo, ut Polytheiſmum, atque Idololatriam adſtruerent, ut ex Hiſtoriâ Chaldæorum, Ægyptiorum, aliarumque nationum abundè patet; & valdè eſt ſimile vero, hanc idololatriam atque polytheiſmum ſuperſtitioſum, quemadmodum ſuprà memorabam, primam anſam dediſſe Atheiſmo: atque, uti ſuperſtitio & polytheiſmus videntur fuiſſe inventi à ſimplicibus colonis, qui vitam agebant paſtoralem, ità Atheiſmum opinor fuiſſe inventum in ſequentibus ſeculis, poſtquam homines vitam civilem incepiſſent agere, & mercaturam colere, quæ plerumque acuit ingenia hominum, atque reddit eos cupidiſſimos novitatis, ut raró acquieſcant priuſquam cognoſcant cauſas rerum. *Antonius Reiſnerus, de Origine & Incremento Atheiſmi*, Cainum primum aſſerere videtur fuiſſe Atheum: at è paradiſo quidem eliminatus

minatus *Atheismus*, non item ex corde humano, ubi semel malum hoc semen radices egit, nunquam planè & omninò eradicandum, quin potiùs propagandum, & ab ipsis statim protoplastis in posteros propagatum, generantibus filios non ad DEI imaginem & similitudinem, *Eva* quidem mater ubi primum peperit filium, promissionis divinæ de benedicto semine mulieris, serpentis paradisiaci futuro contritore, memor, altâ exclamavit voce: *Possedi virum Dominum*, indubia, adesse jam tempus, quo impletum iri speravit id, quod cum viro suo multis, ut probabile videtur, suspiriis, à DEO precata est. Sed multùm, plurimùmque decepta, dum loco ejus, quem Dei filium, Dominum esse existimavit, ἀμόθεον, videlicet, *Atheum* enixa est, Cainum videlicet, hominem omnibus vitiis obrutum, Antitheum, hypocritam, divini cultûs contemptorem, adflictissimorum parentum cordolium, fratricidam nefandum, & quid non? Ne id frustrà dixisse videar, sufficere præter ea, quæ sacer codex de nefandis criminibus & flagitiis ejus detestandis cum memorabilibus circumstantiis memorat, potest colloquium illud, quod inter *Cainum* & *Abelem* intercessisse, in *Jonathæ* Paraphrasi & Targum *Hierosolymitano* legitur, ubivis quidem apud interpretes obvium, dignum tamen, quod & hic legatur, utpote rei præsenti valde accommodatum, quod & versione *D. Quistorpii* ità habet;

bet; *Dixit Cain ad fratrem suum*, Veni, exibimus foras. *Et accidit, cum exissent ambo foras, respondet Cain & dixit ad Abel, Cogito mecum, quod mundus quidem creatus sit per misericordiam divinam; verùm non gubernetur juxta meritum bonorum operum, sed ibi habetur respectus personarum in judicando. Nam cur oblatio tua accepta est, & oblatio mea non accepta est?* Respondet Abel & dixit, *Omnino per misericordiam divinam creatus est mundus, & juxta fructum bonorum operum gubernatur, neque est personarum respectus in judicando. Et quia fructus operum meorum erant boni præ tuis, ideò acceptata est oblatio mea in gratiâ.* Respondit Cain & dixit ad Abel, *Non est Judicium, & non est Judex, & non est seculum futurum, & non est justis redditio præmii, & non est ultio impiis.* Respondit Abel & dixit, *Est Judicium, & est Judex, & est expectatio præmii justis, & sumtio ultionis ab impiis.* Quid in hoc desiderari jure possit colloquio, jam non attendo; illud solum observans, juxtà antiquam ecclesiæ Judaicæ sententiam *Caino* non injuriâ imputari posse *Atheismum*, ob id, quià desertè satis, etsi non ipsam DEI existentiam, providentiam tamen ejus & justitiam, quin & extremum negavit judicium, quod ex iis etiam non obscurè manifestum fieri potest, quæ ex ore ejus prolata in Mosaicis Annalibus narrantur. Sicut autem extremum negare aut in dubium vocare judicium, pa-

tet

tet infrà ex instructione apostoli *Petri*, fuisse homines quos Atheorum fratres non immeritò dixeris; ità illi qui de providentiâ DEI creatoris securiùs, quàm par est, loqui & sentire observantur, ad *Atheismum* proximiùs accedere, antiqui ecclesiæ doctores jamdudum monuere; gentilium scriptorum adversus providentiam pronunciata dicteria, copiosè satis collegit & diligenter digessit *Barthius*, in suis ad *Claudianum* poetam animadversionibus, citatis etiam pluribus ex antiquitate scriptoribus, qui causam DEI solicitissimè curam mortalium habentis contra injuriosissimos ejusdem obtrectatores singulari industriâ egerunt, quibus e scholâ Græcorum omninò addi meretur *Euripides* tragicus, cujus illustre pro DEI in creaturas solicitudine testimonium, *Lectionibus sacris* extaret, dignum censuit *Ritterfhusius*.

Equidem Rabbini afferunt, *Mosem* incepisse librum Geneseos cum his ברא בראשית *in initio creavit cœlos & terram:* litera ב ibi volunt habere sensum *beth* instrumentalis; ut sensus sit, *Deus creavit cælum*, &c. Cum eorum principio, לבטל דעת המינין (i. e.) *ad destruendum opinionum Atheorum vel Hæreticorum*, qui affirmabant, unicum rerum omnium principium esse materiam, eandemque esse æternam. Vide *Michel Jophi* ad Genesin. Si qua inest vis eorum conjecturis, patet, tempore *Moisis* fuisse Atheos, nisi malles, per prolepsin ità scripsisse *Mosem*.

CAP.

Caput IV.

§. I. MISSA itaque *Palestinâ*, in *Græciam* transfretemus, ubi, postquam poetæ animos hominum fabulis anilibus corrupissent, ut de diis crederent, quæ viro bono planè essent indigna, ità ut non possent non odio habere, & prorsus negare, talem DEUM, turpes amores atque vagos exercentem, ex æquo & bono debere existere; hinc forsan ista gigantomachia *Lucretii*:

Humana ante oculos fædè cum vita jaceret,
In terris, oppressa gravi sub religione,
Primum Graius homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra,
Quare religio pedibus subjecta vicissim
Obteritur, nos exæquat victoria cælo.

Quæ carmina, etiamsi ad *Epicurum* referenda, tamen non est quòd dubitemus, ante ejus tempora fuisse ejusdem sententiæ viros, cùm *Aristoteles, Metaph. lib.* 1. *c.* 3. affirmat, fuisse antiquissimos qui crediderint, omnia ab *Oceano* & *Theti* fuisse derivata, vel, aquam esse rerum omnium principium. Inde est, quòd poetæ per *Stigem* jurare soliti, utpote rerum omnium antiquissimam: *Plato* insuper in *Theæto* asserit, sectam istam, quæ nullum aliud præter materiam agnosceret principium, esse antiquissimam; ὅτι πάντα ἔγονα ῥοῆς δὲ καὶ κινήσεως. (i. e.) *omnia*

omnia esse à fluxu & motu generata. Atque *Homerus*, ejusdem Atheismi, *Cudworthio* judice, postulandus, cùm ex iisdem principiis producit omnes DEOS. Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Θηθύν. scil. *Oceanum esse patrem, & Thetim matrem Deorum.* Vel, ut alii, ex *Chao* & *Nocte*, quæ posuit ovum, & ex isto ovo productus est *Amor*, qui se de novo, cum *Chao* immiscens, cœlum & terram & animalia generavit; ut videre est apud *Aristophanem* de *Avibus.* Sunt equidem, qui existimant, philosophos istos atque poetas ad historiam Mosaicum alludere, quia dicitur *spiritum motâsse super aquas*; sed *Salmasius* existimat, hasce fabulas Cabbalam Atheisticam multùm sapere, quæ suppofuit, *Chaos esse omnium principium*, utpote æternum, sed sensim in ordinem motu proprio redacta fuisse; primum, scilicet, res inanimatas produxit, posthæc animalia, atque homines, denique ipsos DEOS. *Hesiodus* tamen, atque, *Parmenides* Atheismi minimè sunt postulandi, cum per *Amorem* videantur principium aliquod activum intelligere, neque *Amorem* à *Chao* & *Nocte*, quemadmodum alii fecerunt, derivant.

§. II. Sed quandoquidem pictoribus, atque poetis, quidlibet fingendi semper fuit æqua potestas, eos nimiùm exagitare non est operæ pretium; ad philosophos antiquiores nos accingimus, qui affirmabant, quod

quod ὕλη & πάθη τῆς ὕλης, essent unica rerum principia (i. e.) materiam *ejusque qualitates, vel formas.* Inter quos, testante *Aristotele Thales* fuit, ἀρχηγὸς τῆς τοιαύτης φιλοσοφίας. (i. e.) princeps istius philosophiæ, cùm omnia ab aquâ deduceret, nullo admisso principio activo; sed injuriâ *Thaleti* tribuitur hæc impietas, cùm apud *Diogenem Laertium* affirmet, mundum esse à DEO factum, & DEUM omnium rerum antiquissimum, quippe ingenitum, cui ne quidem cogitationes mortalium latere possunt. Huc accedit testimonium, *Valer. Max, lib.* 7. *cap.* 2. mirificè *Thales*, nam interrogatus, *an facta hominum DEOS falierent? nec cogitata, inquit.* Sed *D. Bælius* asserit, hæc dicta ab aliquibus authoribus *Pittaco* tribui, ità ut, non adeò certum sit, *Thaletem* de DEO tam religiòsè loquutum fuisse? sed quid quæso obstat, quò minus ambo in eadem cogitata atque verba inciderent, ut passim fit, cùm de rebus valde obviis instituendus est sermo. Quod attinet rerum omnium productionem ex aquâ, haud ità incommodè argumentari videtur, cum forsitan sensu chymico loqui voluerit. Multis experimentis *Boyleus* in libro, cui titulus, *The Usefulness of Natural Philosophy*, demonstrat multa alia corpora derivari posse ex aquâ. Dicitur etiam apud *Diogenem Laertium*, quòd *Thales* primùm omnium docuit *Animæ Immortalitatem*; & rogatus *quid esset velocissimum*,

F respon-

respondit, *Mens*, nam per universum discurrit: iterùm interrogatus, *quid est DEUS?* respondisse dicitur, *quod initio & fine caret*; quæ omnia abundè probant, *Thaletem* principium aliquod activum, vel mentem, à materiâ distinctam agnovisse.

§. III. Sed etiamsi *Thales* piè philosophetur, non omni planè crimine vacuus videtur fuisse ejus discipulus, nomine *Anaximander*, qui meliore jure ἀρχηγὸς τῆς τοιαύτης φιλοσοφίας nominibus, (i. e.) nullum principium activum agnoscens, sed Materiæ omnia tribuens, imò Materiam aliquam primam, eamque infinitam supponens. Neque est quod mireris *Anaximandrum* aliosque *Materialistas*, materiam omni intellectu vacuam aliquando divinam, aliquando Numen appellare, quum illi nihil antiquius, aut divinius agnoscerent, quàm materiam stupidam, neque dubitarent alia DEI attributa illi tribuere. Sed ut eò magis pateat ejus philosophiam fuisse impiam, lubet describere verba *Plutarchi*, lib. de placit. *Anaximander Milesius affirmat, infinitum esse primum principium & ex eo omnia generari, & in idem corrumpi, ideoque mundos infinitos, alternatim generari & corrumpi: sed in hoc errat, cum posuerit tantùm causam materialem, principium activum prorsus tollendo; quia infinitum Anaximandri nihil aliud est quàm materia, quæ, sine causâ activâ & efficiente, nihil potest producere.*

cere. Undè patet ejus *infinitum* non fuisse Mentem, prout voluit *Clemens Alexandr. in Protrep.* Corripitur & à *Cicerone* ejus opinio, *lib. de Natura Deorum. Anaximandri sententia est, nativos esse Deos, longis intervallis orientes occidentesque, sed nos DEUM nisi sempiternum intelligere quî possumus?* Plura de ejus opinione apud *Eusebium, lib. de Præparat. Evangel.* quorum summa huc redit, homines ex ventre aliorum animalium fuisse natos. Eandem de eo ridiculam historiam refert *Plutarchus.* Hic videtur primus fuisse, qui philosophatus est per formas atque qualitates, nullam substantiam incorpoream admittens.

§. IV. Hujus sectæ erat *Anaximenes Eurystrati* filius, *Milesius,* qui nullum aliud agnovit principium præter aërem, atque infinitum. Hujus discipulus fuit *Diogenes Apolloniates,* qui hoc modo philosophatus est, elementum esse aërem, mundos esse infinitos, & inane infinitum, densumque aërem, & rarescentem mundos gignere: nihil ex eo, quod non sit, corrumpi. *Cicero de Nat. Deorum,* hæc habet: *Quid? aër, quo Diogenes Apolloniates utitur DEO, quem sensum habere potest, aut quam formam DEI?* Hinc *Augustinus,* de Civit. DEI, lib. 8. cap. 2. *Diogenes* quoque Anaximenis *alter auditor, aërem quidem dixit rerum esse materiam, ex qua omnia fierent, sed eum non esse compotem divinæ ra-*

tionis, ſine quâ nihil ex eo fieri poſſit. Sed judicio D. *Bæylii*, aër habuit rationem materiæ tantùm, à divinâ mente agitatus, ideóque cum non eſſe purum putum Atheum cum agnoſceret aliquid diſtinctum à materiâ, animam mundi putà; ut multi Theiſtæ, qui DEUM aliquem corporalem agnoverunt; niſi potius eos Atheiſtas nominaveris, qui cogitationem & perceptionem, materiæ eſſe modos atque proprietates affirmavere. Utcunque ſit, *Cudworthius* omnes ferè philoſophos Ionicæ Sectæ, *Thalete* excepto, ejuſmodi Atheiſmi poſtulat, ut nullum præter materiam principium agnoſcerent, inſuper probat, *Anaxagoram Clazomenium*, *Anaximenis* diſcipulum, primum eſſe poſt *Thaletem*, qui philoſophando materiæ mentem adjecit.

Erat proculdubiò vir egregius, quod abundè patet ex vitæ inſtitutione atque ſermonibus: patrimonium non modicum cognatis, ſponte ſuâ conceſſit; atque cuidam illum ità compellanti, *nulláne tibi patriæ cura eſt?* retulit, *mihi verò patriæ cura, & quidem ſumma eſt*, digitum in cœlum extendens. Reſponſio profectò viro Chriſtiano etiam digniſſima: ſed cùm affirmaret, Solem candens ferrum, & Poleponneſo majorem eſſe, Lunam habitacula in ſe habere, & colles & valles, ſtigma Atheiſmi ab Athenienſibus evitare non potuit; etiamſi magnoperè à *Pericle* ſuo diſcipulo, Athenienſium principe, defenſus diu fuiſſet; tandem

tandem à civibus in exilium pulſus & *Lampſaceni* diem obiit extremum.

Ex *Anaxagoræ* infelici fato, ſatis patet, iniquiſſimum eſſe vulgus Atheiſmi judicem; quamplures enim puros putos Atheos intactos dimiſerunt; alioſque Numen Supremum agnoſcentes, pro Atheis morte vel exilio multârunt, nullam aliam ob cauſam, quàm quod auſi fuerint affirmare, ſimulachra & imagines non eſſe DEOS; ut teſtatur *Plato*, in Apologiâ pro *Socrate:* & eâdem de cauſâ Chriſtiani à Gentilibus nominabantur Athei, ut videre eſt apud *Juſtin. Martyrem.*

§. V. *Empedoclem* Agrigentinum, *Pythagoræ* diſcipulum, *Ariſtoteles* Atheiſmi poſtulare videtur, cum affirmat, *Empedoclem* animam aſſerere ex quatuor elementis eſſe compoſitam, & partes animalium fortuitò ità eſſe diſpoſitas, non verò ex concilio alicujus cauſæ efficientis; porrò intellectionem nihil aliud eſſe quàm ſenſus; ſed poſtrema accuſatio parvi eſt momenti, quum ſenſus & intellectus ſæpenumerò pro ſynonymis haberi ſoleant; & quod attinet ad primam, ab omni impietatis criminatione verba ejus apud *Clement. Alexandr.* allegata, eum liberant, quorum ſumma latinè huc redit: *Si ſanctè & juſtè vivamus, in hâc vitâ erimus felices, & poſt mortem feliciores, cùm circumſtantiæ temporis non affixa ſit noſtra felicitas, ſed in perpetuum cum ſpiri-*

tibus

tibus immortalibus convivia celebrabimus. Multa etiam carmina, *Empedoclis*, quæ adhuc superfunt, fatis probant, illum fuiffe divinum philofophum, & *Pythagoræ* præceptoris affeclam ftrenuum.

CAPUT V.

§. I. DE his hactenus, jam ad philofophos *atomicos* tranfeat oratio; inter quos *Leucippus* atque *Democritus* funt facilè principes, quia illi fuerunt primi, qui ab Atomis amoverunt fubftantiam incorpoream, quæ iis præfideret, & hoc modo mancum aliquod philofophiæ fyftema condiderunt. *Laertius* ità de *Leucippo* fcribit, placebat illi infinita effe omnia, & in feipfa commutari, atque univerfum illud inane, effe plenum corporibus: mundofque fieri corporibus in hoc *inane* incidentibus, & in fe invicem implicatis; atque ex motu, fecundum illorum incrementa fidera fieri, porrò, ut generationem, ita & incrementa mundi, & diminutiones, & corruptiones, ex quâdam neceffitate effe. Eâque ratione tellurem effe factam, fidera omnia ignefcere, ob concitatiffimi motûs celeritatem, à fideribus folem quoque flammam concipere, lunam verò paululum ignis participare credidit.

§. II,

§. II. Fuiſſe antiquiores *Leucippo*, qui philoſophabantur per *Atomos*, quod ſuprà innuimus, clarum eſt; ſed iſti adhibuerunt divinam atque incorpoream ſubſtantiam, ad completum philoſophiæ ſyſtema adornandum, cujus pars una eaque minùs nobilis, *atomi:* hæc ſunt verba *Strabonis*, latinè reddita, *Imo ſi Poſidonio credimus, antiquum de Atomis dogma Moſchi eſt, hominis Sidonii, qui ante Trojani belli tempora vixit. Strab. lib.* 6. Idem affirmat *Sextus Empiricus*; ſed *Leucippum* atque *Democritum* authores eſſe hujus philoſophiæ, quatenus Atheiſticæ, nemo, ni fallor, ibit inficias, (i. e.) *Leucippus*, *Democritus*, *Epicurus* diſtinctis, atque ſuccedentibus temporibus, coluerunt, imò invenerunt hanc hypotheſin, quæ omnia phænomena opera atomorum explicare conantur; atque ità impio auſu omnem ſubſtantiam incorpoream, & intelligentem prorſus proſcribunt. Ideóque diligenter diſtinguendum inter doctrinam *atomorum* abſolutè ſumptam, & fortuitum concurſum ſine ullo ſapiente moderatore omnia producente, quæ non immeritò tribuitur *Leucippo* atque *Democrito*. *Lactantius* eleganter refutavit hanc Atheiſticam hypotheſin, ſed quando conatur probare, non dari corpora minima indiviſibilia, ſatis infeliciter rem geſſit, monſtrans ſe theologiæ, quàm phyſicæ, multò magis gnarum, neque abs re ejus verba hic nos diſcribere, ut vide-

videamus, quàm horrendè philoſophati ſint patres: *Non eſt, inquit, providentiâ opus, ſunt enim ſemina per inane volitantia, quibus inter ſe temerè conglobatis Univerſæ gignuntur, atque concreſcunt: cur igitur illa non ſentimus, aut cernimus? Quia nec colorem habent, inquit, nec odorem: ſaporis quoque & humoris expertia ſunt, & tam minuta, ut ſecari aut dividi nequeant. Ubi enim ſunt, aut unde eſt corpuſcula? Cur illa nemo præter* Leucippum *ſomnitavit? A quo* Democritus *hæreditatem ſtultitiæ reliquit* Epicuro. *Quæ ſi ſint corpuſcula & quidem ſolida, ut dicunt ſub oculos certè venire poſſunt.* Inſtitut. lib. 3. cap, 17. Denuò, *Ubi aut unde ſunt quæro, quis illa minuta ſemina vidit unquam? Quis ſenſit, quis audivit? An ſolus* Leucippus *oculos habuit, ſolus mentem? Qui profectò ſolus omnium cæcus & excors fuit, qui ea loqueretur, quæ nec æger quiſpiam delirare poſſit, nec dormiens ſomniare*, &c. Et multa ejus generis invenies, *lib. de Ira DEI*; quæ profectò à phyſicis hodiernis exploderentur planè, utpote commiſeratione aut cachinnatione digna; nemo etenim eſt hominum experimentis inſtructus, qui meliora non noverit, patet enim dare corpuſcula ita minuta, ut omnem oculorum aciem longiſſimè fugiant, & quoad nos indiviſibilia, etiamſi in ſe & mathematicè diviſibilia maneant. *Leucippus*, ſi ſubſtantiam incorpoream retinuiſſet, vir omni laude fuiſſet digniſſimus, teſtante

Thomâ

Thomâ Burnetto. Archælog. Philoſoph. lib. 1. cap. 12. *Ad hanc Sectam Eclecticam aggregari ſolent* Leucippus & Democritus, *viri celebres & eximii, qui hypotheſin atomorum invexerunt, quæ licet mea ſententia falſa ſit, & malè fundata, dedit tamen occaſionem philoſophandi ſtrictiùs & accuratiùs. Hi enim non quærunt corporum principia, aut agendi vires, inter numeros, harmonias, proportiones, ideas, qualitates aut formas elementares, ut ab aliis factum eſt: ſed ipſa adeunt corpora, eorumque conditiones phyſicas & mechanicas examinant, motum, figuram, partium ſitum, tenuitatem, & magnitudinem, & ſimilia; & ex his cujuſque virtutes æſtimant, actiones definiunt, effectá explicant, idque rectè ſolidéque. Quod verò hás minutas indiviſibiles eſſe vellent, aut innatum impetum habere, aut inclinationes ad certa loca aut denique inanibus ſpatiis disjungi, hæc & alia hujuſmodi non tantùm gratis dicta ſunt, ſed etiam claræ rationi refragantur. Utcunque, cùm viam aperuerint ad ſaniorem differendi modum circa res phyſicas, & in hac parte de republicâ literâ non malè meruerint, illos laude ſuâ ne fraudemus.*

§. III. De *Leucippo* plus ſatis, de *Democrito* multa reſtant dicenda, natione *Mileſius* fuit, *Damaſippi* filius, Magos atque Chaldæos habuit præceptores, à quibus & Theologiam & Aſtrologiam didicit, quum adhuc puer eſſet, poſtea verò *Leucippum* convenit,

& ſecundum quoſdam *Anaxagoram*, quum annis quadraginta minor ætate quàm ille eſſet. Inſuper memoriæ traditum eſt, illum in Ægyptum contendiſſe ad ſacerdotes, Geometriam percepturum. Non defuere, qui dicerent, eum cum Gymnoſophiſtis in India congreſſum eſſe: denique in Æthiopiam veniſſe, atque rem familiarem in itineribus dimetiendis, etiamſi lautam, prorſus conſumpſiſſe; ità ut propter rerum omnium indigentiam à *Damaſo* fratre aliquando nutriretur. De cujus ſagacitate in rebus phyſicis multa proferuntur, exempli gratiâ, præſente *Hippocrate* lac efferri cum juſſiſſet, inſpecto lacte, dixiſſe, & capellæ nigræ eſſe. Sed & puellam, *Hippocratis* primò ità ſalutâſſe dicitur, *ſalve virgo*, poſtridie verò, *ſalve mulier*, puella enim vitiata fuit eâ nocte. Quod attinet ejus opiniones, eas ſic habeto ex *Laertio* & *Heſychio illuſtri*. *Principia* omnium eſſe *atomos* & *inane*; cætera omnia fas eſſe opinari, infinitos eſſe mundos, generationi & corruptioni obnoxiàs, *atomos* præterea, numero eſſe infinitos. Aquam, ignem, aërem, terram, ſolem item & lunam ex vertiginibus, tumorumque circumferentiis componi; animamque humanam itidem; cunctaque ſecùndum neceſſitatem fieri, quum ſit vertigo cauſa generationis omnium, quam neceſſitatem eſſe dicit. Finem verò rectum quietumque animæ ſtatum aſſerit, ut nullo metu, nullâ ſuperſtitione agitetur. Porrò

teſtatur

teſtatur *Lucianus*, *in Philopſeud. Democritum* firmiter credidiſſe mortalitatem atque diſſolutionem animarum cum corpore, ideoque nihil ſibi timuiſſe, dum petulantes aliqui juvenes tentâſſent illum noctu territare; adeò firmiter credidit, animas nihil eſſe, poſtquam è corporibus exierint. Ex his conjicere licet, illum nullum alium cognoviſſe Numen, quàm ſtupidam materiam, perpetuis circumgyrationibus velociſſimè rotatam; cùm ideam nullam ſubſtantiæ incorporeæ concipere poſſum, quàm ex ideâ, quam habeo de meâ mente, utpote ab omni materiâ diſtinctâ, & minimè dependente, rectè concludo, DEUM ſimilem eſſe ſubſtantiam maximè incorpoream, & à materiâ independentem.

§. IV. Non ità ſe res habet in iis, qui negant reſurrectionem, & animarum immortalitatem, ſive durationem perpetuam; quia fatendum eſt, eam dependere à DEI beneplacito, quià ſi ità viſum fuerit illi, etiam omnes Angeli in nihilum redigerentur. Ea propter ille planè Atheiſmi poſtulatur à *Cicerone* de *Nat. Deor. lib.* 1. *Democritus*, inquit, *dum imagines earumque circuitus in Deorum numerum refert, quæ imagines peſſundant, adimant tum ſcientiam & intelligentiam noſtram, nonne in maximo errore verſatur? cumque idem omninò, quià nihil ſemper ſuo in ſtatu maneat, negat eſſe quicquam ſempiternum; nonne DEUM*

ità tollit omninò, ut nullam opinionem ejus reliquam faciat?

CAPUT VI.

§. I. DEMOCRITUM excepit *Diagoras*, *Teliclidis* filius, naturâ servus, & propter indolem & acumen ingenii, decem drachmatum millibus à *Democrito* emptus, & posteà ab eodem philosophiâ imbutus, atque ut fas est credere, minus rectè de DEO sentire edoctus, adeò ut *Impius* vel *Atheus* cognomento dictus fuerit. Alii causam ejus Atheismi sic referunt, quod eidem arti (i. e.) poeticæ operam dederit quispiam, à *Diagorâ* accusatus de subrepto poemate, nominato Pæane; & cum ejurasset se furti non teneri, coram Jovis imagine; atque poemate non ità multò post lucem prolato, mæstus valdè & contristatus *Diagoras* λόγους θεοὺς scripsit ἀποπυργίζαντας: (quasi dicas orationes è turribus suis DEOS præcipitantes) quæ defectionis suæ causas à communi de diis sententiâ continebant; ità imprudenter concludit, *DEUM nihil aliud esse quam statuam*; cum concludere debuisset, *statuam non posse esse DEUM*. Prosperitas impiorum magnum profectò omni tempore attulit mortalibus præjudicium, ut parùm benignè

benignè de DEO, atque de ejus providentiâ ſentirent; quod abundè patet ex verbis *divini pſaltis, tantum non pedem ſuum fuiſſe lapſum* teſtantis, cum videret impios in omnibus ſuis conatibus proſperrimos habere ſucceſſus, dum boni viri duriſſimâ uterentur ſorte; ſed cùm ingrederetur templum vel tabernaculum Jehovæ, facili labore omnes iſtas diluit triſtes cogitationes. *Clemens Alexandrinus*, *Diagoræ* philoſophiam damnari à multis exiſtimabat, fictitios atque falſos Gentilium Deos, quia acriter corriperet; quod fatemur verum fuiſſe de aliquibus qui à Gentilibus exiſtimabantur Athei. Quòd ſi diligentiùs conſideravimus ejus ſcommata contra providentiam, non abs re erit credere, illum nullum DEUM agnoviſſe, præter concurſum atomorum fortuitum, vel materiam, ut anteà ejus præceptor *Democritus*. *Diagoras*, cùm in Samothraciam veniſſet, & quidam amicus ei dixiſſet, *Tu qui putas DEOS humana negligere, nonne animadvertis, ex his tabellis pictis, quàm multi votis vim tempeſtatis effugerint, & in portum ſalvi pervenerint? Ità fit*, inquit, *illi verò nuſquam picti ſunt qui naufragium fecerint, in marique perierunt*, l. 3. de. Natur. Deor. *Idemque cum ei naviganti, vectores adverſâ tempeſtate timidi & perterriti dicerent, non injuriâ ſibi illud accedere, qui illum in navem eandem recipiſſent; oſtendit eis in eodem curſu multas alias laborantes, quæſivitque, num etiam in*

iis

iis navibus Diagoram *vehi crediderent?* Acutiſſimè dictum, quod nos monere debet, ne nimiâ feſtinatione impiorum miſeriam illicò eorum impietati tribuamus; quià & hæc accidit viris quibuſque optimis. Propter impietatem ejus decreveruut Athenienſes magnam argenti vim, cuicunque qui illum trucidaret, atque largiorem tali mercedem, qui vivum adduceret. Sed fugâ ſe ſalvavit, & poſteà naufragio periit. Multa alia de eo referunt authores, ſed non ſunt hujus commatis, neque ad noſtrum faciunt inſtitutum.

§. II. Fuit & *Protagoras Democrati* auditor, teſtante *Laertio*, atque is Atheiſmi accuſatus, dicebat nihil eſſe animam præter ſenſus; *de diis quidem ſtatuere nequeo*, inquit, *an ſint necne*; *ſunt enim plurima, quæ id ſcire prohibeant*, *quippe & ſumma rei incertitudo*, *& brevis hominis vita.* Nihil videtur conceptis verbis contra exiſtentiam Summi Numinis ſtatuiſſe, ſed cautius, forſan, propter magiſtratûs metum loquutus; ſed cùm *Diagoræ* condiſcipulus eſſet, par eſt credere, illum coluiſſe eandem philoſophiam: pulſus tamen tandem ab Athenienſibus, librique illius in foro cremati, ſub præconis voce. Lubet huic ſubjicere hiſtoriam *Theodori*, cognomento dicti *Athei*; vixit Athenis tempore *Demetrii Phalerei*; omnes opiniones de Diis antiquavit penitùs & ſuſtulit; *furto, adulterio, ſacrilegioque*

crilegioque se dediturum affirmat ex usu temporis; horum enim natura nihil esse turpe, si tollas popularem de hisce opinionem, quæ ad continendum in officio vulgus hominum recepta est. Hinc addiscere licet, nihil Atheo patriæ vel reipublicæ pestilentius, nihil eo timidius in periculis, in convictu fraudulentius, aut injustius esse posse; qui, neque æqualem toleret, neque agnoscat superiorem, nisi quando coactus est commoditati suæ inservire atque temporibus; alioquin,

Vivitur ex rapto, nec hospes ab hospite tutus:

Neque salus populi respicienda, neque majestas principum. Atheus nullum agnoscit Numen, nisi seipsum; neque aliud cœlum præter hujus vitæ commoditates; neque alium infernum, præterquam rerum omnium inopiam; hinc timiditas & ignavia, ut strictum ensem vix audeat adspicere, quià si fortè hostili ferro caderet, conclamatum esset de omni illius spe & expectatione. At forsan objicies, in bello nihil Atheo fortius, cùm post mortem neque pœna eos maneat, neque infernus, neque ulla rerum anteactarum recapitulatio, neque profectó molestè ferenda sit, brevis hujus vitæ jactura. Ità est, fateor, si meliorem spectaveris, jactura est nulla, attamen Atheo gravissima est & irreparabilis, quià nihil habet aliud quod expectet. Insuper quod Atheus *pacis* sit *aman-*

amantissimus, utpote omnia Summum Numen quæ respiciunt, susquedeque habens, atque æquissimo ferens animo, ut quisque abundet suo sensu quùm *non quid sentiant homines, sed quid agant attendit*, sed hoc, nullo pacto verum esse arbitror; contra, est animal maximè disputax, atque ardentissimo zelò percitum ad conquirendos sibi asseclas, neque fortè hoc nomine Pharisæo multùm inferius. Praxis, & hominum Atheisticorum mores, extra omnis aleæ controversiam hoc ponunt, quippe qui nuspiam desinunt, si non palàm, saltem clanculùm corrumpere aliorum animos. Obiter monendum est, execrandam esse opinionem Atheorum, secundùm quam, ipsis fatentibus, nullus in officio contineri potest; sed opus est commento religionis, quamvis fabula absurdissima sit; religionem à politicis fuisse excogitatam, tamen quum illi putant nemo hactenus potuerit ostendere, quibus temporibus, quibus locis, vel à quo denique principe tanta fraus introducta fuerit; imò impossibile est, ut experientia satis docet, unum universos posse decipere, vel ab uno universos decipi; quia omni tempore inveniuntur homines astuti, atque sagaces ad detegendas ejus generis fraudes; imprimis, cum sua magnopere intersit, excutere talis Supremi Numinis dominationem, quæ identidem incutit terrorem mortalium animis.

§. III.

§. III. *Theodoro* coætaneus fuit *Stilpo Megarensis*, &, ut aliqui volunt, *Euclidis* auditor, qui tantum valuit dicendo, ut parum abfuerit, quin cuncta Græcia in illum intenta, in Megaram transiret. Aiunt ità illum quemdam de *Phidiæ Minervâ* compellâsse: *Num*, inquit, *Minerva Jovis filia Deus est?* Quum verò annuisset ille, dixisse dicitur, *at illa non Jovis, sed Phidiæ est:* non ergo ipsa, (ità concludebat) *Deus:* quâ ex re, quum in Areopagum pertractus fuisset, nihil inficiatum ferunt, imò rectè se loquutum asseruit, *non enim Deus erat, sed Dea*: Areopagitæ tamen nihilo secius continuò urbe excedere jusserunt. Denique, cum rogâsset eum *Crates, an Dii precationibus, ac divinis honoribus gaudeant? Noli me*, inquit, *in viâ de hisce rogare, sed solum ac, seorsim.* Horum nihil *Hesychius illustris* in ejus vitâ commemorat, sed de ejus festivo ingenio & facundiâ, multa prædicat, & quandoquidem ex ejus operibus nihil est reliquum, non temerè inter Atheos recensendus irrisor lepidus, qui idololatriam sui temporis non sine multo sale subinde jocosè perfricuit. Hujus temporis erat *Bion Boristhenites*, etiam Atheus à multis habitus, aliàs ignobilis, sed ab *Antigono*, Macedoniæ rege in deliciis habitus, propter summam viri leporem & acumen ingenii: *Theodori* impii fuit assiduus auditor, à quo male de DEO sentire

 didicit,

didicit, & profana multa effutire, de quo *Sam. Parkerus* habet ſequentia. *Vir nulla alia re niſi importunis moribus, & lividis ſalibus inſignis; & hos quidem cum ſermonibus, tum libris editis, fertur palàm & audacter ſuam adverſus Numinis exiſtentiam opinionem defendiſſe; denique moribundum, in anilem ſuperſtitionem delapſum fuiſſe, & ſummo conſcientiæ horrore finiviſſe vitam.*

Hæc eſt profecto omnium ferè Atheorum indoles, ut moribundi in turpiſſimam ſuperſtitionem & maximè ridiculam incidant. *Tullius Hoſtilius*, Deorum infrequens cultor, ipſe quoque magno morbo implicitus, tum adeò fracti ſimul cum corpore ſunt ſpiritus illi feroces, ut qui nihil ante ratus eſſet minus regium, quam ſacris dedere animum, repentè omnibus magnis parviſque ſuperſtitionibus obnoxius degeret, religionibus etiam populum impleret, *Liv. Dec.* 1. lib. 1. Eapropter aliqui Athei non temerè queruntur de ſuorum aſſeclarum inconſtantiâ & tergiverſatione; quià pauci, vel nulli, firmi manent atque immobiles in ſuâ ſententiâ: cauſa eſt in promptu, à turpibus voluptatibus feriari coguntur, quæ eos à recto rationis uſu diſtrahebant, & jam tandem ad ſe redeuntes, Atheiſmo nihil ineptius aut periculoſius ſatis percipiunt, contrariam verò ſententiam valdè ſecuram benè intelligunt, quùm planè nihil ſecum adferat periculi, ſi eſſet falſa, nequidem minimum infamiæ, quià tum nemo foret, qui me

pro ludibrio haberet, vel qui pœnas à me ſumeret, ſi nullus ſit DEUS, & animarum immortalitas, quod ſi detur (datur autem certiſſimè) tum væ & miſeria incredibilis, familiæ impiorum.

§. IV. Jam tandem tangit ordo *Epicurum*, *Neoclis* & *Chæreſtratæ* filium, patriâ *Athenienſem*. Sunt qui dicunt, quùm *Athenienſes* Samum ſortiti eſſent, illic illum nutritum eſſe, ac demùm octavum vel decimum agentem ætatis annum, rurſùs Athenas conceſſiſſe, quo tempore & *Xenocrates* in Academiâ, *Ariſtoteles* in Halcide, ſcholam habebant. Defuncto autem *Alexandro Macedonum* rege, & Athenienſium ſub *Perdiccâ* afflictis rebus, *Colophonem* ſe ad patrem contuliſſe, ubi cùm aliquamdiu moratus eſſet, collegiſſetque diſcipulos, Athenas iterùm rediiſſe dicitur, ibique cum cæteris in communi philoſophatum fuiſſe, ~~denide~~ ſeorſum ſectam conſtituiſſe. Verùm enim verò *Diotimus* Stoicus infeſto adverſus illum animo acerrimè eum inſectatus eſt, quinquaginta circumferens impudicas & laſcivas, veluti ab *Epicuro* ſcriptas epiſtolas. Quicquid ſit, hoc certum eſt, ab omnibus ferè philoſophorum ſectis, impietatis atque Atheiſmi poſtulatum fuiſſe *Epicurum*; imprimis à Stoicorum ſectâ, illi maximè fuit reclamatum; neque minus à Judæis ſcriptoribus, qui eouſque devenerunt, ut Atheum & Epicureum haberent pro

deinde

ſynonimis. Vide *Buxtorf. Lexicon. Epictetus* quoque, ut laſcivius juſto loquentem ſugillat. Inſuper memoriæ eſt traditum, bis illum diebus ſingulis vomere ſolitum fuiſſe, & nimiis deliciis ſolutum, corporeque adeò miſerè affectum, ut multos annos è ſellâ conſurgere nequiverit; minam interim quotidie in cibos conſumſiſſe, ut ipſe *in Eipſtolâ ad Leontiam* teſtatur. Multa alia hujus generis de diffluentiâ vitæ, atque crapulâ apud authores paſſim inveniuntur. Sed nec ei defuere omni tempore viri doctiſſimi, qui ab omni impuritate vitæ eum acriter defenderunt, quùm ille non in turpi voluptate corporis poneret felicitatem, ſed in voluptate animi; ità ut quod Stoici vocarent *apathiam*, Moliniſtæ noſtri temporis *quietudinem animi*, atque nos ipſi *bonam conſcientiam*, *Epicurus* appellat *voluptatem*. Quòd ſi ità res ſe habuerit, in hoc articulo non à vero abhorruiſſe videtur, quandoquidem ſine illâ animi voluptate, certo certius nulla felicitas obtineri poſſit; vid. *Sir William Temple's Eſſay upon the Garden of Epicurus.* De ejus parſimoniâ prædicat multa *Laertius*, tacebo *Gaſſendum*, qui omnia congeſſit, quæ illi ornamento aut laudi eſſe poſſunt.

Quis furor, ô Cives, ut vos ob vile lucellum
Rixas, ut bellum ſollicetetis atrox?
Nam natura opibus facilè contenta puſillis,
Contenta nullis ambitio eſt opibus.

Hoc

Hoc Epicurus *ait*, *dulces quem nempe Camenæ*,
Aut Suadæ tripodes edocuere ſacri.

Sed quicquid ſit, de ejus moribus non ità laborabo, præſertim cùm graviſſimi authores de hâc re minimè conſentiant, & quiâ non eſt neceſſe, ut quiſque Atheus illicò omni diſſolutione vitæ & luxu diffluat, eà-propter non ex moribus tantùm & vitæ inſtituto judicium de Atheiſmo ferendum, ſed etiam ex cujuſque opinionibus, de naturâ, principio atque omnium rerum cauſâ.

§. V. Quid verò de his opinatus ſit *Epicurus*, videndum nunc eſt: phyſicam Epicuream in compendio ſic habeto: principia eſſe individuas corporum naturas, ſive atomos in infinito ſpatio infinitos.

Poſſidonius clarè affirmat, *Epicuro* nullos eſſe DEOS; quæque is de Diis immortalibus dixerit, invidiæ deteſtandæ gratiâ dixiſſe. Vid. *Cudworth. intellectual. Syſtem. p.* 60. Qui, cum bonâ veniâ *Gaſſendi*, firmiter *Epicurum* pro Atheo habet, non obſtantibus ejus Diis ſubtilibus atque aëreis, dum paſſim affirmat, mundum eſſe factum à corporibus fortuitò motis, ſine moderatore, ità ut juxta cùm *Democrito* ſtatuat, mundum ὠὸν τῆς νυκτὸς, *ovum Noctis*.

Unde patet, nihil agnoviſſe *Epicurum*, (cujus amanuenſis *Lucretius*) præter materiam, philoſophiæ partem ignobiliorem, ut cauſam & principium omnium rerum; ſed

de cauſâ motûs, atque operationum phyſicarum, nihil protulit, niſi ineptias; " Unde " *Cicero in lib. de Finibus*; *cum in rerum* " naturâ duo ſint quærenda, unum quæ " materia ſit, ex quâ quæque res efficiatur? " alterum, quæ vis ſit, quæ quidque efficiat? de materiâ diſſeruerunt *Epicurei*, " vim & cauſam efficiendi reliquerunt. " Dum cauſam motûs *Epicurus* ponit gravitatem atomorum rectis lineis deorſùm " tendentem; abſurdius vel inſulſius quid " dici poterat?" Cum infinito ſpatio (cùm adhuc nulla eſſet atomorum concretio) neque ſurſùm, neque deorſùm ullo jure ſtatuere poterat.

§. VI. De *Lucretio* lubet hic paucis meminiſſe, qui Philoſophiam Epicuream carminibus latinis eleganter cecinit, & veſtigia magiſtri aſſiduè preſſit; niſi fortè minimè conſtare ſibi videatur, dum invocatione *Almæ Veneris* ſuum poema orditur, cùm in ſequentibus nullum DEUM agnoſcere voluerit. Verſus iſti initiales ità ſe habent:

Æneadum genitrix, hominum divûmque voluptas,
Alma Venus, cæli ſubter labentia ſigna.
Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferenteis
Concelebras ——
Te ſociam ſtudeo ſcribendis verſibus eſſe,
Quos ego de rerum naturâ pangere conor.

Con-

Conformat ſe proculdubio loquendi formulis poeticis, quæ obtinebant iſtis temporibus, quià ipſe Diis omnibus hoſtem infenſiſſimum ſe præbet, neque ullam moderationem, vel providentiam in mundo eſſe agnoſcit:

Omnis enim per ſe divûm natura neceſſe eſt,
Immortali ævo ſummâ cum pace fruatur,
Semota ab noſtris rebus, ſejunctaque longè,
Nam privata dolore animi, privata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur irâ.

Et *Epicurum* ſupra modum extollit, qui liberavit homines à metu Deorum, omniaque ſcelera iſto infrænato metu profecta fuiſſe auſus eſt affirmare: & poſtquàm, ſacrificio *Iphigeniæ Agamemnonis* filiæ, multis reclamâſſet, tali concludit Epiphonemate:

Tantum religio potuit ſuadere malorum!

Inſuper gloriatur, ſe vias anteà inacceſſas tentaturum.

Avia Pieridum peragro loca nullius ante
Trita Solo. ——

§. VII. Hactenus de Atheis, qui aut per qualitates & formas, vel per atomos & inane philoſophati ſunt, reſtat tertium Athe-

Atheiſmi genus *Hylozoicum*, paſſim apud *Cudworthium* dictum, cujus inventor *Strato Lampſacenus* fuiſſe dicitur, phyſicus autem idcircò appellatus eſt, quòd in eâ ſpeculatione præ cæteris diligentiſſimè verſatus ſit. Fuit autem & præceptor *Ptolomæi Philadelphi*. Nullum præter materiam DEUM ſtatuebat, ſed ut evitaret abſurditates Epicureas, ex concurſu atomorum fortuitò promanantes, vitam materiæ eſſentialem eſſe dixit. Imò quælibet atomis vita, atque appetitu & perceptione ſecundum *Stratonem* erat animata; quæ repetitis actibus atque exercitiis, facultatem diſcurſivam, & fruitionem aſſequi poſſet, ut maximo ſuo commodo & utilitate ſeſe diſponeret, & ſibi provideret, ut planè hoc pacto non opus eſſet ullo Numine. Quapropter apud *Ciceron. lib.* I. *de Nat. Deor. Nec audiendus* Strato, *qui phyſicus appellatur, qui omnem vim divinam in naturâ eſſe ſitam cenſet, quæ cauſas gignendi, augendi, minuendique habeat.* Huc referendus eſt *Diodorus Siculus*, judicio *Stillingfleetii*, quia paſſim ejus hiſtoria Atheiſmum ſapit: Imò hinc inde inſinuat, ſe in ſententiâ *Euhemeri* Meſſenii fuiſſe, omnem religionem à politicis eſſe excogitatam affirmantis. In principio ſuæ hiſtoriæ, duas fuiſſe philoſophorum ſententias ait, de mundi origine, unam, mundum in eodem ſtatu quo eſt, ab æterno fuiſſe; alteram verò, ex indigeſtâ mole, omnia atque ſingula corpora ſenſim à ſe invicem

invicem ſeparata, atque in haſce formas, quas jam induunt tandem redacta; atque terram, calore ſolari tepefactam & imprægnatam, produxiſſe animalia bruta, atque homines. Ut ſi quis collationem inſtitueret inter *Diodorum* & *Lucretium*, illum ab hoc doctrinam ſuam de rerum formatione accepiſſe mutuam conſtet. Quandoquidem tempore *Diodori*, quod fuit *Augusti*, in magno pretio erat *Lucretii* poema, & ille linguæ latinæ benè gnarus. Adde, quod hæc philoſophia ſtabilit ejus hypotheſin de rerum-origine: refert mures à limo Nili calore ſolari quotannis productum iri; & quidni & animalia cætera. *Ovidius* habet verſus hujus commatis nonnullos.

Altera pars vivit, rudis eſt pars altera tellus.

Sed hæc ſunt verba fabuloſa nulli fidei, niſi Ægyptiacæ innixa, iſti mures enim aliunde, veroſimiliter vi aquarum ferebantur, & ſubſidente Nilo, extricabant ſe à limo jam indureſcente, in quo, ut antea, mures vivere non poterant. Recentiores philoſophi atque medici ſatis probârunt, omnia animalia quantumvis minima, ova ponere, è quibus perpetim fætus excluduntur; ut meritò omnes ejus generis fabulæ à doctis explodantur.

CAPUT VII.

§. I. HI ſunt præcipui, qui atheiſticè philoſophati inter antiquos; fateor eſſe hujus impietatis poſtulatos apud *Ciceronem lib. de Naturâ Deorum* alioſque authores; ſed aliquando minùs rectè, atque ſæpius propter ſermones aliquos diis gentilibus nimium infeſtos. Poſt tempora JESU CHRISTI, per multa continua ſecula, hæreticos quoſvis peſſimos invenies, qui *Polytheiſmum* introducere in eccleſiam, atque abſurdiſſimè varios *Æones* ponere maximoperè conati ſunt. Sed qui directè Atheiſmum ſtatuerit vix invenies; *Lucianus* equidem apud authores Atheus audit, ſed forſitan injuriâ, cum præcipuus illius ſcopus in eo ſit poſitus, ut vanitatem cultus gentilium ob oculos poneret: chriſtianos etiam aliquando acerbè ſatis, & petulanter, more ſuo profano, ſcommatibus excepit, ſed quod Numen Supremum exiſtere negaret, percipere ego quidem ex ejus ſcriptis non poſſum.

§. III. Deſcendendum eſt itaque ad ſecula proxime elapſa, atque imprimis *Italia* nobis erit examinanda, quæ impiorum hominum ſemper fuit feraciſſima, teſtante *Petro Mattheo*, Hiſtorico-Gallo, in Hiſtor. Henrici IV. *Ingenia* (ſcripſit) *quorundam in Italiâ ſunt ſatis libertina, & quò propi-*

ora

ora sunt Pontifici, eò minus fulmen vaticanum curant; de Animâ, opinionem in deliciis ac voluptatibus ponunt, eamque pro salis grano habent, quod corpus à corruptione tutum servet, atque in hoc unicè incumbunt, ne homines videri queant. Sic etiam author alius, à *Spizelio* allegatus: *Si Atheos quæris nusquàm plures, quàm in ipsâ Româ invenies; Quot Romæ Cardinales, quot Prælati, quot Regulares, irregulares sunt, quibus facilius ex* Homero *aut* Virgilio *purgatorii fabulas persuaseris, quam resurrectionem mortuorum.* Addamus verba Apolog. *Wilhelmi* Principis Arausionensis, pag. 66. *In domo principis Parmensis Atheismus & aliæ virtutes Romanæ in deliciis habentur, & hujusmodi nusquam uberius invenias, quàm apud hæredes Petri Aloysii.* Hinc etiam *Melanchton* aliquando Italo-Theologo occinnebat; *Vos Itali vultis disputare, DEUM seu Christum esse in Eucharistâ, quem non creditis esse in Cælo.* Neque abs re nostra erit Historia *Sabini, Melanchtonis* generi, qui cum per *Italiam* peregrinaretur, & Cardinalem *Bembum* ob celebritatem nominis salutaret; ab eo fuit interrogatus, quid *Melanchton* de immortalitate animæ, resurrectione corporis, & de vitâ æternâ sentiret? cui cum respondisset, illum de his veritatibus planè persuasum esse, quod ex ejus scriptis satis appareret; regessit Cardinalis, æstimarem *Phillippum* virum sapientem, si hæc non credidisset. *Mullerus* refert in *Atheismo de-*

victo pag. 223. Imò eò impietatis, & dementiæ ventum esse, ut passim immortalitas animæ negaretur. Inde in Concilio Lateranensi, ut serpenti malo occurreretur, decretum fuit, animam esse immortalem; nihilominus tamen *Johannem* XXIII. legimus in Concilio Constantiensi, coram viris celeberrimis planè negâsse animæ immortalitatem, atque dixisse, post hujus vitæ curriculum, nihil esse aut sperandum aut metuendum. Neque huic impietate Secundus *Clemens* VII. Romanus Pontifex, qui moribundus pronunciâsse dicitur, se illicò trium rerum fore certiorem, de quibus per omnem vitam dubitâsset vehementer, videlicet, an esset DEUS? An anima esset immortalis? An denique esset altera vita? *Wolfius Tom.* 2 *Lection. memorab.*

§. III. Ad non obscuram hujus æmulationem Florentinus ille Platonicæ philosophiæ assertor, *Marsilius Ficinus*, versabatur: is cum videret optimos Græcorum Trepezuntium & Archyropilum in distributis inter se Aristotelicis operibus vehementer occupatos, nobilissimos etiam sectæ Platonicæ autores in latinum idioma traduxit, adeò insatiabilis tenorem studii secutus, ut fuerit in absurdissimam, cum *Symphoriano Champerio*, opinionem deductus, Christi nostri passionis imaginem in vitâ & carcere fuisse *Socratem*. Adeò impensè huic placebat gentilis philosophus, cujus etiam dog-

dogmata satis avidè ad certum temporis spatium suscipiebat. Notum est *Socratem*, sub vitæ finem, scepticum egisse de animæ immortalitate. In hac etiam parte noster imitator strenuus fuit. Nam cum *Mercato*, quem amavit ardentissimè, insigni Italorum philosopho, de hâc materiâ sermones intra privatos parietes frequentes habuit, & convenere inter se mutuò, ut qui primus fungeretur vitâ, de statu animæ post mortem superstitem alterum certiorem redderet: Idem reverà contigit; *Facinus* enim primus excedens vivis apparuisse dicitur *Mercato*, & hisce verbis eum compellâsse, *O Michael! Michael immortalis est anima. Jov. Elog. Doct. Vir. p.* 101.

§. IV. Verum pietatis omnes limites expatiatus est, sub idem tempus notissimus ille horrendâ impietate *Angelus Bassus* à patriâ *Politianus* dictus, Florentinus Canonicus, qui ut illum *Jovius* commendat, *Vir erat distortis moribus*, qui multò libentius *Averrois* codices, & *Aristotelis* dogmata sæpissime tractabat, quàm divina oracula; in quæ voces profanas effutire frequentes solebat, eo contentus, ut antiquitatis vindex summus nominaretur. Interrogatus enim aliquando an legeret Scripturam Sacram? nauseabundus respondit, *Semel legi librum illum, & nunquam collocavi pejus ullum tempus.* Quæ quidem verba alio in sensu nonnulli explicant. Tradunt enim

enim eum lectioni vulgatæ verſionis Sacri Codicis incubuiſſe, cum verò conſignatam eam fuiſſe ſtylo ſimplici deprehendiſſet, è manibus indignabundum rejeciſſe, cum dictione elegantiori longè ſua omnia ſoleret exprimere. Sed neſcio, an iſthæc excuſatio firmo ſtare talo poſſit, cum idem propè de Pſalmis Davidicis ſenſerit, *Narrabat enim placere quidem ſibi illa antiqua carmina, & continere ea honeſta præcepta, res tamen longè dulcius ſplendidiuſque tradi in Pindaricis odis. Pingi Ixionem in rotâ clamantem, multas imagines, multas acerrimas hiſtorias, & graviſſima præcepta memorari.* Rectè itaque videamus, inquit *Ludovicus Vives*, (vir extra omnem animi irreligioſi ſuſpicionem, utì de eo egregiè Cl. *Eſpencæus* judicat) quid idem in pretio haberet. Diſputavit quamdiu vixit, dicendum ne eſſet, *Carthaginienſis* an *Carthaginenſis, primus* an *preimus*; & ſiquid otii ab hujuſmodi nugis ſuperfuit, Epigramma aliquod græcè compoſuit, in libidinis ac præpoſteræ veneris laudem. Hanc autem impiiſſimi hominis nequitiam divina ira pœnis graviſſimis compenſavit. Nam adoleſcentis cujuſdam in fano amore percitus in lethalem morbum incidebat, in quo mox delirantem eum, vox ipſa tandem & vitalis ſpiritus deſeruerunt. *Jov.Elog.Var.p.*89.

V. Accenſeo his Mantuanum illum celeberimum philoſophum *Petrum Pomponatium,*

tium, qui quidem à plurimis Epicureiſmi accuſatus. Quippe naturæ nimium attribuebat, ad cujus effectus CHRISTI etiam & Apoſtolorum miracula reducere primò volebat. Sed tamen manifeſtè teſtabatur, quod non ſufficere poſſent rationes ex naturâ rei prolatæ, ſed verbo DEI fidem eſſe potius habendam; quapropter ad extremum etiam eccleſiæ correctioni ſe humiliter ſubjiciebat. *Bal. Dict. Hiſt. Crit. Tom.* III.

§. VI. Concilii Lateranenſis decreto, occaſionem dedit doctrina *Pomponatii*, qui *Bononiæ* docuit publicè, mortalem eſſe animam, teſtante *Spondano Annal. Eccleſ. Occaſionem inquit, prediclæ de philoſophis ſanctioni dediſſe dicitur* Petrus Pomponatius *Mantuanus*, Jovii *in philoſophiâ præceptor: qui enarrans* Ariſtotelem & Averroem *Bononiæ, animas poſt corporis mortem, vel diſſolutionem interituras, ex ſententiâ Ariſtotelis probare conatus, juventutem valde corruperat; ſe eo defendens, quòd philoſophicè loqueretur, ſed aliter, cum Chriſtianus eſſet, ſentiret.* Sed lubet ipſa verba *Pomponatii à Bæylio* allegata hic apponere, quæ planè ab omni impietate nomen ejus liberare videtur apud candidos interpretes; *His itaque ſic ſe habentibus*, inquit, *mihi (ſalvâ ſaniori ſententiâ) dicendum in hac materiâ videtur*, quod quæſtio *de immortalitate animæ, eſt neutrum problema, ſicut etiam de mundi*

mundi æternitate; mihi namque videtur quod nullæ rationes naturales adduci possunt cogentes statuere, animam esse immortalem. Quare indubiè, ipsam immortalem esse, asserendum: verùm eâ viâ non incedendum est, quâ hujus seculi sapientes incesserunt, qui cum sapientes se dixerunt, stulti facti sunt, quicunque enim hâc viâ incedet, ut existimo, semper ut incertus & vagus fluctuabit. Si bonâ fide hæc protulit, atque ex animi sententiâ, non temerè impietatis stigmate est notandus, cum nihil aliud adstruere videatur, quàm hoc, quod sine revelatione divinâ, animæ immortalitas dilucidè demonstrari non possit; quod non adeò abhorrere à vero videtur, cùm hoc verissimum sit, nullum ens absolutè esse immortale, nisi unum DEUM; omnes alios spiritus, atque substantias incorporeas soli DEO immortalitatem suam acceptam referre debere, qui vult ut per omnium seculorum ætates existant, quippe quæ suâ naturâ aptæ natæ ad istam immortalitatem, cum nulla causa externa præter unum DEUM illas possit destruere, aut in nihilum redigere: DEUS verò voluntatem de illorum perpetuitate passim in sacris paginis patefecit. A cucullatis monachis sui temporis vehementer fuit exagitatus, & passim pro Atheo habitus, quùm ille ficta monachorum miracula exsibilaret planè atque exploderet.

Simon Portius, author dictionarii linguæ grecæ

Græcæ modernæ, eruditiffimus vir, longè fuperior erat præceptore fuo *Pomponatio*, quòd ad peripateticæ fcientiæ cognitionem, linguæ Græcæ & Latinarum literam ornamenta dederit: fed longè etiam nequiora dogmata publicæ luci exponebat. In fuis enim differtationibus *de animâ & mente humanâ*, animas cum corpore verè interituras magno ecclefiæ fcandalo credebat. Quapropter opus ifthoc impium, & porco non homine autore dignum, in bibliothecâ judicat *Gefnerus*. Teterrimi hujus fœtoris omnium graviffimè olere videtur *Andreas Cæfalpinus Aretinus*, qui ut olim *Ariftoteles* caufam omnium productricem attulit, ità tamen ut eidem omne providentiæ imperium detraxerit, quo fublato, DEUM effe dicat, an omninò tollat nihil intereffe demonftravimus. Primum itaque motorem, *intelligentiam fpeculativam non activam* effe, ftatuit; deinde intellectum fpeculativum eum effe voluit, qui nihil cujufvis finis gratiâ operatur, fed folâ contemplatione totus occupatur.

Hunc eâdem impietatis viâ & ratione non modo fecutus eft, fed fuperavit *Claudius Berigardus Molinenfis*, qui unà cum impiâ *Ariftotelis* difciplinâ, obfoletam iftam quoque veterum Ionicorum (quemadmodum de iis ipfe cenfuit, ac alii plerique cenfuerunt) revocavit; cum enim difputationes fuas dialogorum confuetudine perfcripfit, fermonem in duas perfonas *Chari-*

laum & *Aristæum* distribuit, quorum alter *Aristotelem*, qui præter materiam, quemdam primum motorem, providentiæ tamen expertem posuit; alter antiquos istos defendit, quos omnia corporea esse velle, nullumque primum motorem, ab universo corpore distinxisse putavit. Atque adeò uno eodemque opere diversas cum Epicureæ tum Peripateticæ impietatis rationes adornavit; quanquam *Aristotelis* disciplinam fusius & ardentius excoluit, atque eam potissimum quam libro physicorum octavo, librisque de cœlo & rerum generatione tradidit, quibus universam mundi fabricam sine providentiâ architectricè extruxisse se putat philosophus. Neque nefaria sua dogmata dispersè uno aut altero capite (ut *Cæsalpinus)* insinuavit, sed apertè omnem peripateticæ impietatis rationem secutus est, neque Numinis providentiam ut ille è rerum naturâ tollere satis habuit, nisi & falsè dictis increparet eam.

His duobus sunt qui *Hieronymum Cardanum* ànnumerandum esse arbitrantur, quod omnia divinæ providentiæ phænomena astris aliisque causis naturalibus ascribi voluerit, atque adeò, inter alia quamplurima, quæ in naturali philosophiâ se invenisse gloriatur, penè maximum existimat, quod ad generationem animalium perfectorum, non aliud principium requiri, nisi calorem cœlestem; quò fieret, ut hominum genus, omniaque animalia, nullâ Numinis providentiâ,

tiâ, sed solâ siderum vi gignantur; quæ cum nullâ ratione aut concilio prædita sint, si iis mundus administraretur, sequitur nullo omninò Numine administrari. Sed ei veniam dari oportet, ut aliis omnibus damus, quos sui compotes non esse novimus. Magnum enim *Cardani* ingenium magna dementiæ mixtura contaminavit; unde cum per intervalla in insaniam incideret, idem illi quod aliis omnibus insanis contigit, ut qui multa dicunt quæ nec sentiant nec meminerint.

Atque sanè, si quis quæ de se ipse scripsit, legerit, his omnibus longè dementiorem esse deprehendet. Quis enim nisi prorsùs insanierit ea de se narraret; quæ si de inimico dixeris, honos præfandus est? Quis tam grandia, & secum pugnantia de se mendacia fingeret? Quis tàm vana de spectris, lemuribus, geniis, portentis, auguriis, insomniis, aliisque ejusmodi anicularum ineptiis crederet, iisque maxima vitæ momenta gubernaret? neque quidem insaniisse, miremur, cùm universis exagitaretur furiis, quarum singulæ quemvis sanioris mentis, in extremam dementiam impulisse poterant. Earum autem precipuæ quatuor fuere; primùm, anomala (ut ipse vocat) naturæ indoles; tum immensa cogitandi assiduitas; deinde immoderata gloriæ cupido; postremò, maxima totius vitæ calamitas; quæ omnia, si cuivis ho-

minum, *Cardano* certè singulari modo contigerit.

§. VII. Pergamus; à multis Atheismi accusatus fuit *Petrus Aretinus*, propter ingenium ingens, *divinus* dictus, & propter scripta satyrica *flagellum principum*, neque minus fuit infestus ecclesiasticis, ut ex epistolâ *Johannis Paludani* ad *Dionysium Lambinum* datâ patet: *Penè me fugerat, quod scribendum imprimis fuisse arbitror, à Cardinale* Peronio *editam esse audio orationem adversus* Petrum Aretinum; *periculum est ne, ut jampridem principum, ità posthæc & monachorum flagellum esse & nominari velit.* Post mortem hoc Epitaphium meritus est;

Condit Aretini *cineres lapis iste sepultos,*
Mortales atro qui sale perfricuit.
Intactus DEUS est illi, causamque rogatus,
Hanc dedit, ille inquit non mihi notus erat.

Item

Hic jacet ille canis, qui pessimus ivit in omnes.
Dempto uno, quem non noverat ille, DEO.

Item

Primorum Mastyx molli hâc requiesco sub unâ,
Viventi cui mens irrequieta fuit.

Nulli

Nulli ego mortali, superis si forti peperci,
Ignoti superi fortè fuere mihi.

Item

Amarus jacet hic, viator, hostis
Vivorum, simul atque mortuorum;
Diis convitia nulla dixit, & se
Excusans, sibi cognitos negavit.

Atque apud *Laurentium Grassum*, in *Petri Aretini* vitâ, Italicè sic habentur eadem carmina,

Qui giace l' Aretino Poeta Tosco,
Che d' ognun' disse mal; che di Dio,
Scusandosi col dir, io non lo cognosco.

Plures asserunt hæc carmina sepulchro ejus esse inscripta Venetiis; sed alii absurdissimum hoc esse opinantur, cum Athei neque ecclesiis sepeliri neque epitaphiis honorari soleant. *Spizelius, in Scrutin. Atheismi*, p. 18. Ita de eo: *Aretinus horrendi istius libri de tribus impostoribus author:* etsi eo nomine *Campanella*, in *Atheismo Triumphato*, suspectum habeat *Poggium Florentinum*; & *Thomas Broune*, in *Relig. Med. Sect.* 19. nefarii illius libri authorem dicat *Bernardinum Ochinum*. Quomodocunque res se habeat, sunt qui affirmant, *Aretini* opera Atheismum neutiquam sapere, imò in volumine secundo epistolarum *Henrico*

Henrico Octavo Regi Angliæ dicato, hæc verba invenio: *Siche merito scusa delle ciancie da me composte per ridere & non per malitia:* Ità ut si aliquando æquo liberiùs atque nimis jocosè, de rebus sacris luserit, cupiat hoc sibi condonari, cum non animo malo talia unquam protulerit.

§. VIII. Quod attinet librum *de tribus impostoribus*, nonnullis videtur is esse mera chimera, de quâ multi multa loquantur, sed nemini unquam visa. Fateor, *Mullerus*, in *Atheismo devicto*, affirmat, se nosse virum sibi familiarem, qui possideat istum librum, sed se vidisse non scribit; imò hodiernus Hamburgensis Theologus *Frid. Mayerus*, excerpta ex eodem libro in apricum promisit propediem se editurum; gratum proculdubiò multis facturus, si promissis steterit. Sed cur *Ochinus* habendus sit Atheus, non video, cum ejus scripta profectò elegantissima, passim pietatem atque observantiam erga DEUM maximoperè spirent. Liber *de libero arbitrio*, quem propter intricatas materiæ difficultates vocat *Labyrinthum*, Reginæ Angliæ *Elizabethæ* inscriptus, haudquaquam impietatem sapit. Multò minus *Catechismus*, in quo eleganter statim ab initio, DEI Existentiam demonstrat, modo *Cartesiano* non planè dissimili. Audiamus illum: *Prego*, inquit, *Illuminato mio, che tu mi dica, S' egli ti par essere o no?* Illuminato. *Mi par essere*, mà per questo, non

son

ſon certo, che io ſia; *imperoche in parermi eſſer, forſe m'inganuo.* Miniſtro. *E'impoſſibile, che a chi non e,* gli paia d'eſſere, *percio poi ch' ei ti par' eſſere, biſogna dire che tu ſia.* Id eſt, mi diſcipule illuminate, rogo te, bonâ fide, ut mihi dicas, an, exiſtimes, te exiſtere nec ne? *Illuminat.* Ità ſanè, opinor me exiſtere, ſed tamen fortè decipior. *Miniſter.* Eſt impoſſibile, ut tibi exiſtere videaris, ſi reverà non exiſteres, nam dum tibi exiſtere videris, neceſſe eſt dicere, te exiſtere. Hiſce poſitis, probat eleganter, ſummum Numen infinitè perfectum neceſſariò exiſtere. Unde certè miror, cur literatorum Hallenſium unus neget *Ochinum* ſcripſiſſe catechiſmum illum, nulli alii rationi innixus, niſi quod ille nullam editionem viderit, præter eam, quæ diu poſt mortem authoris prodiit, ac ſi nulla alia antiquior editio unquam exſtitiſſet; mutaturus certe ſententiam, ſi hujus catechiſmi editionem Baſilienſem, Anno MDLXI. vidiſſet. Cæterum hunc *Orchinum* ad ſententiam *Socini* Senenſis ſui concivis inclinâſſe, ego non auſim negare; ſed illum eſſe Atheum, jure negare poſſum, tot concionum voluminibus linguâ Italicâ, aliiſque ſcriptis contrarium teſtantibus.

§. IX. Huc etiam accidit memorabilis illa Athei *Itali* hiſtoria apud *Henricum Stephanum, à Spizelio* citatum, ubi refert, nobilem quendam Italum in civili bello Gallico

Gallico, ſclopeto trajectum ſe regi commendâſſe, (cum alii moribundi DEO commendare ſoleant.) Eundem ſæpe in vitâ, familiaribus confeſſum, ſe deſiderare quidem, ut juxta cum aliis in DEUM crederet, ſed non poſſe, inſuper ſe oblectâſſe blaſphemiis contra DEUM, hiſtoriaſque ſacras datâ occaſione traduxiſſe. Sic *Nannus Groſſus* & *Lucas Oræſus* Florentini, per totam vitam Atheiſmum profeſſi ſunt. Horum alter moriens crucifixi ſtatuam ſibì afferri curavit, cui ſe commendaret, ſed nullius alterius quàm *Donatelli* manufactam: alter potentiori ſe commendavit *ſive DEUS ille, ſive Dæmon eſſet*; cum hac horrendâ exclamatione, *chi piu puo, piu tiri!* (i. e.) Qui plus poteſt, plus rapiat! Hactenus *Spizelius*, Porrò *in Hiſtoria univerſali* Jo. Læti *refertur de* Coſmo *Italo, homine literato:* Atheus ex vitâ migravit, moriturus *nec parochum nec capuchinos ferre voluit*; *monitus ut extremum reformidaret judicium, affatim riſit*; *ſtulti, inquit, abite, nulli ſunt Diaboli, niſi hoſtes noſtri, qui nos in hoc mundo vexant*; *neque alius Deus eſt, præter reges & principes, qui ſoli nos poſſunt juvare & nobis benefacere. Hujus furfuris homines mentis inopes vel furioſos appellaverim.*

§. X. Pauca denique de *Nicolao Michiavello* Florentino, ſui temporis rerum politicarum maximè gnaro, antequam Italiæ vale

valedicam, memoranda sunt. Quod attinet ejus pietatem erga DEUM, maxima sunt animorum divortia, etenim laudatur ab his, culpatur ab illis, propter libellum, quem scripsit *de Principe*. *Baconus*, de *Augmentis Scientiarum. lib. 7. c. 2.* honorificè satis de hoc libro scripsit. *Est quod gratias agamus* Machiavello, *inquit, & hujusmodi scriptoribus, qui apertè & indissimulanter proferunt, quid homines facere soleant, non quid debeant.* Observârunt viri docti, hunc librum nullâ virgâ censoriâ fuisse notatum, usque ad tempora *Clementis* Octavi, qui eum damnavit ex instigatione Jesuitæ *Possevini*. *Spizelius*, in *Scrutinio Atheismi*, p. 132. longè pejus de eo judicat, atque refert, quòd cùm Florentiæ jam in extremis esset, & scrupulis agitaretur conscientiæ, ob metum damnationis jam imminentis, in mentem verò ei recurreret, quòd viri illi magni, orbisque sapientes *Aristoteles, Plato, Alexander*, & similes, damnati sint; & quòd viri sancti, ut plurimùm fuerint homines miseri, in mundo despecti, variisque angustiis & afflictionibus pressi, insanâ voce dixerit, *Malo in infernum descendere cum magnis illis & illustribus viris, quàm cum infimis istis, & vilis conditionis hominibus, in cælo degere.* Neque de illo benigniùs sentit *Mullerus* in *Atheismo devicto*, p. 677. ubi increpat ejus Apologistas, quod frustrà ex ejus opere conentur demonstrare, *Machiavellum* aliter sensisse, quàm scripsis-

se; imò clarè sensus animi exprimere videtur *lib.* 2. *disputat. de Repub. cap.* 13. "Id mihi significare videtur *Xenophon, inquit*, quod necessaria sit ars quædam decipiendi, si quis altum fastigium ascendere, & insignes aliquos progressus facere velit: hac arte *Johannes Galeazzius*, Principatum Mediolanensem, *Barnardo* avunculo suo eripuit; *addens*, fraudem necessariam putamus omnibus, quicunque ex parvis crescere conantur, quæ tantò minus turpis est, quantò quis magis illam poterit occultare, & honesto aliquo prætextu tegere." An pius, vel impius fuerit, DEUS cordis indagator unus novit, hoc tamen certè novimus, in *Machiavelli* animadversionibus ad *Livium*, caput integrum reperiri *de necessitate religionis*, sine cujus auxilio & interventu nullus principatus aut dominatio diu subsistere possit: demonstrat etiam, nullum certius declinantis alicujus imperii signum esse, quàm religionis negligentiam.

Meritò denique memorandus est *Giordano Brun*, qui publicis flammis impietatis postulatus periit, multis ille scriptis inclaruit. Scripsit librum cui titulus *Jordani Bruni Nolani Camæracensis Acrotismus, seu rationes articulorum physicorum adversus peripateticos Parisiis propositorum*, reimpressus Wittenberg. 1588. ibidem invenies Epistolam ad *Henricum* Tertium Galliæ Regem, & aliam Parisiensibus, & aliis è generosissimis Galliarum regno philosophis.

Dicitur ab adversariis illum affirmâsse plures mundos extitisse ab æterno, atque gentem Judaicam tantummodo ab *Adamo* & *Evâ* esse oriundos, nationes vero alias ab aliâ stirpe, Adamiticâ multò antiquiore satos, insuper miracula Moisaica magiæ mera fuisse effecta, insuper libellum scripsit cui titulus *Spatio della bestia triumphante*, in quo primum dum multo sale depexum dat gentilismum, & Jovem ipsum vitæ postulat infamis, tum postea totis nititur viribus ostendere Evangelia Christi poetarum fabulis multo esse absurdiora, ideóque in campo Floræ in Româ combustus Feb. 9. 1600. creditur *Cartesium* a *Bruno* sua principia ut plurimum hausisse, " Extitit inter " novitios philosophos *Jordanus* quidam " *Brunus Nolanus*, quem Cartesianæ doc- " trinæ antesignanum jure dicas: adeò ac- " curatè omnem propemodùm ejus compo- " sitionem præsignavit in eo libro de im- " menso & innumerabilibus inscripsit." Cens. Philosoph. Cartesian. cap. 8. p. 215. edit. Paris. 1689. apud *Bæylium*. Ex libello cui titulus *Giordano Bruno Nolano de la causa, Principio, & uno*, Stampato in Venetia, 1584. hæc pauca excerpsisse placuit. " E " si ha per modo di conclusione, che è " cosa indegna di rational posser credere " che l'unoverso & altri suo corpi princi- " pali sieno inanimati; Essendo che da le " parti & escrementi di quelli derivano gli " animali che noi chiamiamo perfettissimi."

Quæ ſane verba videntur innuere omnibus perfectionibus vitâ puta & intellectu materiam ſuâ naturâ eſſe inſtructam, quod erit manifeſtum ex ſequentibus; " gli Ariſtote-" lici, Platonici & altri ſophiſti non han " conoſciuta la ſuſtanza de le coſe, & ſi " moſtra chiaro che nelle coſe naturali, " quanto chiamano ſuſtanza oltre la mate-" ria, tutte è puriſſimo accidente." Quæ verba omnem notionem *mentis* vel *ſpiritus* è medio tollit, quam theſin pro fundamento ſuæ philoſophiæ poſtea poſuit *Spinoſa.* Porrò laudat hæc ſua principia, utpote ad vitæ felicitatem utramque paginam facientia, quià metum inferni atque mortis prorſus diſſipat. " Et che da la cognitione de " la vera forma s' inferiſce la vera notitia " di quel cheſia vita, & di quel che ſia " morte; & ſpento à fatto il terror vano " & puerile di queſta; ſi cognoſce una " parte de la felicita che apporta la no-" ſtra contemplatione ſecundo i fondamen-" ti de la noſtra philoſophia: atteſo che " lei togle il foſco velo del pazzo ſenti-" mento, circa l'orco, & avaro Caronte " onde il piu dolce de la noſtra vita ne ſe " rape, & avelena, & p. 25. ſequentia car-" mina poſuit:

O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras, & nomina vana timetis,
Materiam vatum, falſique pericula mundi?

Corpora

Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis.

neque per animam aliud videtur intelligere nisi animæ mundi particulam, " Non vo- " lete, *inquit*, chesia altera forma che " questa æterna compagna di la materia. " Hor quanto alla causa, effetrice, dico l' " efficiente physico universale, che é la pri- " ma & principal faculta del anima del " mondo;" & postquam affirmâsset animam mundi causam esse efficientem omnium rerum, explicat his verbis quid ille per animam mundi intelligit, & per intellectum universalem, " L'intelletto univer- " sale é l'intima piu reale, & propia facul- " ta é parte potentiale de l'anima del " mondo, questo é uno & medessimo che " empie ill tutto, illumina l'universo & " indrizza la natura à produrre le sue spe- " cie come si conviene, & cossi ha rispetto " alla produttione di cose naturali come il " nostro intelletto, alla congrua di specie " rationali." Si plura desideraveris de hoc *Bruno vid. Epist. Caspar. Sciopii à Doctiss. viro Domino la Croze Edit. in Dissert. Gallic. de Atheism.*

CAPUT VIII.

§. I. QUA'M ferax porrò monſtrorum iſtorum ſit *Gallia* (inquit *Spizelius)* non ipſa ſolum teſtatur experientia, verùm cumprimis etiam libri, tractatuſque varii contra Atheos vernaculâ ibidem editi, imò una *Lutetiâ*, Anno 1623. jam 500 continebat Atheos, ut *Merſennus* ait, Comment. in Geneſim, cujus etiam hæc ſunt verba; *Ne quis ſuſpicetur, me injuriâ conqueri, vel enim paucos, vel nullos eſſe, qui DEUM negent; ſciat velim, non ſolum in Galliâ, ſed etiam in aliis regnis, tantam eſſe nefandorum Atheorum multitudinem, ut jure mirari poſſimus, quomodo DEUS eos vivere ſinat, quippe qui bonitatem infinitam in eis ad reſipiſcentiam expectandis effundit.* Conqueritur ſimiliter in præf. Tract. cui titulus *Queſtiones rares,* &c. ad Cardinal. *Richelieu,* "Quod ante aliquot annos im-
"pietas ſub nomine Atheiſmi vomuerit
"blaſphemias contra DEUM, quæ etiam
"flammis in terris ſit expiata; ſed quod
"renata ſit in corde Galliæ, ex cineribus
"infelicis illius *(Vaninum notat)* alia ſecta,
"quæ ſub nomine magis ſpecioſo expoſu-
"erit venenum, magis contagioſum, quàm
"prius. Complices hujus ſectæ fabricâſſe
"ſibi nomen *Deiſtarum,* ad animas ſimpli-
"ciores & credulas decipiendas.

§. II,

§. II. Mittam in præsentia *Rabelesium* aliosque Gallos à multis Atheismi postulatos, & mentem appellam ad historiam cumprimis *Julii Cæsaris Vanini*, cujus vitam atque vivicomburium descripsit fuse Gramondus. " *Lucilius Vaninus*, inquit, " apud plerosque pro hæresiarchâ habitus, " qui DEUM negat. Medicinæ professor " erat nomine, sed re, seductor incautæ " juventutis, DEUM ignorabat, sorte om- " nia fieri existimabat, naturam pro ma- " tre optimâ, & omnium nutrice adora- " bat; ut dici possit ex multis error unus, " quem pervicaciter profitebatur Tholosæ. " Gente Italus, literarum rudimentis Ro- " mæ imbutus, philosophiæ & theologiæ " incubuerat, magnâ spe; cum ad impia " prolapsus, sacrum sacerdotii characterem " polluit libro infami, quem scripsit in " hunc titulum, *de Arcanis Naturæ*, quo " non erubuit profiteri, naturam rerum " omnium Deam. Ob crimen, cujus in " Italiâ reus agebatur, in Galliam profu- " gus, Tholosam venit. Delituit *Vaninus* " per tempus, donec illum libido in glo- " riam adegit, ut fidei catholicæ arcana " vulgaret, in problemata primum; dein " in irrisum. Statim altâ admiratione " capti adolescentes, quibus inter nova " placent maximè, quæ probantur paucis, " *&c. Lucilius* ferocitate contumax, dum " in patibulum trahitur, monachi solatium

" asper-

" aſpernatus, objectam crucem averſatur, " Chriſtoque illudit in hæc eadem verba; " *illi in extremis præ timore imbecillis ſudor,* " *ego imperterritus,* inquit, *morior.* Falſò " ſanè imperterritum ſe dixit ſceleſtus ho- " mo, quem vidimus dejectum animo, " philoſophia uti peſſimè, cujus ſe menti- " ebatur profeſſorem. Erat illi in extre- " mis aſpectus ferox & horridus, inquieta " mens, anxium quodcunque loquebatur; " & quamquam philoſophicè mori ſe cla- " mabat, identidem finiviſſe vitam ut bru- " tum, nemo negaverit. Antequam rogo " ſubderetur ignis, juſſus ſacrilegam lin- " guam cultro ſubmittere, negat, neque " exerit, niſi forcipum vi adprenſam, car- " nifex ferro abſcidiſſet. Reliqua abſump- " ſit ignis, in aërem ſparſi cineres." Variis ſcriptis inclaruit *Vaninus,* imprimis libro, cui titulus, *Amphitheatrum Æternæ Providentiæ Divino-Magicum, Chriſtiano-Phyſicum, necnon Aſtrologico-Catholicum; adverſus veteres Philoſophos, Atheos, Epicureos, Peripateticos, & Stoicos, Lugduni impreſſo, apud viduam Antonii de Harſy, ad inſigne Scuti Colonienſis,* 1615. *cum Privilegio Regis, porrò honeſtiſſimis Approbationibus atque Carminibus ornato;* Ex quibus non poſſum quin verbum unicum, exempli gratiâ, conſulto interponam: illa autem approbatio ſic habet *R. D. D. Franciſcus du Soleil, Officialis ordinarius, & Metropolitanus, nec non Vicarius Generalis Subſtitutus Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi*

verendiſſimi Domini Archiepiſcopi Lugdunenſis, Galliarum primatis; liber, qui inſcribitur Amphitheatrum Providentiæ Æternæ Divino-Magicum, Authore Julio Cæſare Vanino, Philoſopho, Theologo & Juris utriuſque Doctore, ut in lucem edatur facultatem concedo, Lugduni die 6. *Junii* 1615. Huic Approbationi altera ſubſtituitur, quæ ita ſe habet: *Has Exercitationes partim Theologicas, Ego Jacobus Davaeyne, Regis Procurator, typis mandari, tum demum in lucem edi conſentio.* Alias approbationes, ne cui multus videar, & æquo longior, prudenter tranſeo.

§. III. Sed fortaſſis ſcire percupis; unde hic liber tantis ornamentis atque laudibus condecorandus fuerit à viris eruditis, quorum eſt officium, libros cognoſcere? rationem unam atque alteram tecum communicabo; earum prima hæc eſt, *Vaninus* ubique fictâ religionis ſpecie, atque pietate erga Pontificem & Jeſuitas non vulgari, ſcripſit defenſionem Concilii Tridentini, *Lutherum, Calvinum, Chemnitium* ſugillavit, ut ille ipſe memorat. Ego Catholicæ matris Eccleſiæ filius in Apologiâ pro Tridentino Concilio, in Decreto de Sanctorum invocatione ſcripſi adverſus Lutherum, exiſtimantem B. Franciſcum ex vehementi erga Chriſtum amore, propriis manibus ſeipſum ferro ſtigmatizâſſe, quod à vero alienum eſt, quandoqui-

" dem sic mortem sibi consciviffet, vel vi-
" tam saltem manifesto periculo, ob ina-
" nem finem exposuisset, quod de seraphi-
" co viro præsumendum non est," pag. 70. *Quantum attinet ad Societatem Jesu*, " Pi-
" etatis & eruditionis altricem, Romanæ
" Ecclesiæ, & splendori fuisse, & ornamen-
" to, ipsamque DEI immortalis munere,
" tanquam Romanæ Ecclesiæ Palladium,
" cæterarum religionum columen, totius
" universitatis anchoram hominibus esse
" concessam existimat." *Epist. ad Lectorem.* Unde dubio procul benignius de hujusmodi Viri scriptis proclive erat, ut ejus temporis censores judicarent. Insuper in hoc libro multa extant argumenta elegantissima contra veterum philosophorum errores, ut facilè rapiat incautorum animos in admirationem sui.

§. IV. Librum claudit his verbis, sicque etiam summum illum rerum omnium Effectorem, Conservatorem, & Gubernatorem DEUM, in novissimo libri hujus margine, cum gratiarum actione putavimus exorandum.

Dei supremo percita flamine
Mentem voluntas extimulat meam:
Hinc pernegatum tentat alta
Dædaliis iter ire cereis,
Audetque Cœli non memorabile
Metare numen, principio carens,

Et

Et sine, definire Musæ
Exiguæ breviori gyro.
Origo rerum, & terminus omnium,
Origo, fons, & principium sui,
Suique finis, terminusque,
Ubique totus, tempore in omnibus
Omni quiescere ipse Deus locis,
Partes in omnes distributus,
Inter usque manens ubique.
Nec comprehensum ullis regionibus,
Ullisve clausum limitibus loca
Tenet, sed omnis liber omne
Deditus in spatium vagatur.
Illius alta est velle potentia,
Opus, voluntas invariabilis,
Et magnus absque est quantitate,
Atque bonus sine qualitate.
Quod dicit, uno tempore perficit,
Mirere, fiat vox vel opus prius:
Cum dixit, en cum voce cuncta
Universa simul creata.
Cuncta intuetur, perspicit omnia,
Atque in sua unus, solus est omnia,
Quæ sunt, fuerunt, & futura,
Prævidet ipse perennitate,
Atque ipse plenus, cuncta replet, sui,
Et semper idem: sustinet omnia.
Et fert, movetque, amplectiturque,
Absque supercilio gubernat.
Te, te tandem respice me bonus,
Tibique nodo junge adamantino,
Id namque solum unumque & omne,
Reddere quod potis est beatos,

Quicunque junxit te sibi, & altius
Uni adhærescis, continet omnia,
Teque omnibus circumfluentem
Divitiis, nihilque egentem.
Tu, cum necesse est, nulli deficis,
Ultroque præbes omnibus omnia.
Ipsumque te, qui sis futurus
Omnibus omnia, subministras.
Laboriosis tu vigor inclitus,
Tu portus alto navi fragantibus,
Tu fons perennis perstrepentes
Qui latices salientis ardent.
Tu summa nostris pectoribus quies,
Tranquillitasque & pax placidissima,
Tu mensus es rerum modusque,
Tu species & amata forma.
Tu meta, pondus, tu numerus, decor,
Tuque ordo, tu par atque honor, atque amor
Cunctis, salusque, & vita, & aucta,
Nectare & ambrosia voluptas.
Tu verus altæ fons sapientiæ
Tu certa spes, tuque æviterna
Et ratio, debita, veritasque,
Decus, jubarque, & lumen amabilè,
Et lumen almum, atque inviolabile,
Tu, summa summarum, quid ultra?
Maximus, Optimus, Unus, Idem.

Hæc certè carmina nullam sapiunt impietatem, nisi ex saccharo exprimere velis venena, atque ex melle virus præsentissimum, interpres sinister atque inconditus. Multa alia scripta theologica exaravit *Vaninus*

ninus; nimirum, Apologiam pro legis Moſaicæ & Chriſtianæ religionis veritate, pro immortalitate animæ; quæ ſi extarent, manes fortaſſe auctoris purgarent ab omni ſuſpicione turpiſſimæ impietatis, et carbone nigro notarent cleros Gallicos atque *Gramondum* qui hunc miſerculum tradiderunt flammis, &

Tange tigilinum & tædâ lucebis in illâ.
JUVENAL.

Cave, irrites eccleſiaſticos, habent fœnum in cornu, & poteſtatem vitæ & necis, magiſtratum civilem etenim habent in manu, ut miles gladium. Vide Apologiam pro *Vanino.*

CAPUT IX.

§. I. CLARUIT in Galliâ multo ante, tempore ſcilicet, *Caroli* IX. & *Henrici* III. *Johannes Bodinus*, qui a nonnullis impietatis poſtulatur, propter librum ab eo ſcriptum, cui titulus *Heptaplomeres de abditis rerum ſublimium arcanis*; non à numero librorum, ut *Claudius Sarravius*, in *Epiſt.* p. 325 conjectat, ſed ſeptem perſonarum

ſonarum numero colloquentium, quos libris illis induxit, ita dictus. In illo autem *Paulo Coronæo* partes dedit agendas religionis Pontificiæ, *Frederico Podamico* Lutheranorum, *Antonio Curtio* Reformatorum, *Hieronymo Seuamo* Indifferentium, *Diego Toralbæ* Naturaliſtarum, *Solomoni Barcaſſiæ* Judæorum, & *Octavio* tandem *Fagnolæ* Mahommedanorum. Eâ verò ratione inter ſe colloquentes committuntur, ut præcipuè Judæi, inde indifferentes, tandem naturaliſtæ palmam obtineant; reliqui verò inſtructi levibus argumentis, reſponſionibus ſuis titubent & hallucinentur, & præter naturaliſtas, cauſâ ſuâ cecidiſſe quiſque videatur. Sic hactenus Clar. *Hartnaccius* in *Continuatione Hiſtor. Eccleſ. Micrelii*, ſed *Bælius* in Dictionario dicit, *Judæum ubique victorem*; & ſunt, qui ſcriptum reliquerunt, *Bodinum* in ſententiâ Judæorum è vivis deceſſiſſe; alii, eum fuiſſe Magum, memoriæ tradiderunt: ſed omnia incerta, hoc tamen, opinione omnium, certiſſimum eſt, fuiſſe ſui temporis Juriſconſultorum facilè peritiſſimum.

§. II. *Bodino Edwardum Herbertum* adjungitur Comes de Cherbury, & par Angliæ quem & *Kortholtus*, in libello de *tribus Impoſtoribus*, omnium trium primum facit, atque ejus opiniones de induſtriâ explicat & refellit, quarum ſummariæ atque præcipuæ hæ ſunt, quæ & *Bodino* commu-

nes,

nes, (1.) Esse supremum aliquod Numen. (2.) Coli debere. (3.) Virtutem pietatemque esse præcipuas partes cultus divini. (4.) Scelera quæcunque expiari debere pœnitentiâ. (5.) Dari præmium & pœnam post hanc vitam. Ex quibus abundè constat illum non fuisse Atheum, sed virum profecto optimum, qui bene cupiebat humano generi; ut ejus liber auro contra charior testabitur abunde seris nepotibus.

§. III. Properat nostra oratio ad virum longe celebratissimum *Thomam Hobbesium*, An. 1588. *Aprilis* 5. Malmesburiæ, agri Wiltoniensis oppido natum, præmaturo quidem partu, matre nempe, imminentis classis Hispanicæ portubus Anglicanis metu percussâ. Patrem habuit ejus loci verbi divini ministrum, ut tempora atque locus ferebant, satis doctum. Anno ætatis octavo *Roberto Latimero* Oxoniensi commendatus fuit, apud quem prima literarum rudimenta poneret, sub cujus ductu in Latinis atque Græcis progressus fecit, ut condiscipulos longis intervallis post se relinqueret. Anno 1603. ætatis vero decimo quinto Oxonium missus in aulam Mariæ Magdalenæ, cui eo tempore *Jacobus Hussæus* Legum Doctor, postea Eques auratus, & Cancellarius Sarisburiensis, præfectus erat; summum quoque eâdem tempestate, magistratum Malmesburiæ agebat *Franciscus Hobbes*, *Thomæ* hujus patruelis: is non

tantum

tantum illum Oxonii per quiquennium suis sumptibus aluit, sed & postea moriens haud parum illi testamento legavit. In hâc Academiâ Logicæ præcipuè atque Physicæ Aristotelicæ, prout ex mente *Scoti* prælegebantur, operam dedit, cursuque illo Philosophiæ emenso, Baccalaurei titulo ornatus est. Anno 1608. *Gulielmus Cavendish*, Baro de Harwich, postea Devoniæ Comes, Juvenem doctum & moribus gravem, filio suo natu maximo, annis propemodum æqualem, eique eo gratiorem futurum, sibi dare præoptavit, qui studiis scilicet & moribus ejus præficeretur; atque Præses tunc aulæ Mariæ Magdalenæ, *Johannes Wilkinson*, præ cæteris ei hanc in rem laudavit *Hobbium*. Hic quoque illustris Juvenis latus assiduè texit, artibus hoc genere dignis eum imbuit, in venatione omnibusque ejus generis exercitiis fuit Comes discipulo individuus, ut patris atque filii singularem sibi conciliaret favorem, atque dignus haberetur, quem in Galliâ & Italiâ peregrinantem sequeretur. Illo in itinere, cum plurimis passim viris doctis colloquia instituit, exque iis adeò profecit, ut sordere illi jam inciperet umbratilis sapientia academica; postea reversus, gratiam Candisianæ Gentis facile obtinuit, ut in amicitiam *Francisci Baconis de Verulamio*, Baronis & Vice-Comitis Sancti Albani, Magni Angliæ Cancellarii reciperetur. Hic enim *Hobbii* vel maximè opera, in

in ſcriptis ſuis ex Anglicano Idiomate in Latinam transferendis uſus. Obiit autem An. 1626. *Guilielmus*, Devoniæ Comes & biennio poſt idem ille ejus filius, cui *Hobbius* Comes addictus fuerat. Huic dolori, cum in Angliâ ſolatium non inveniret, diverticulum ſaltem *Hobbius* quæſivit in *Galliâ*, conditionem ferente Nobiliſſimo viro *Gervaſio Cliſton*, in agro Nottinghamienſi, ut ſcilicet filio peregrè ituro dux itinerum atque ſtudiorum eſſet. Eo tempore annum tam quadrageſimum prætervectus, Euclidis lectione, Demonſtrationum ſcilicet perſpicuitate & continuâ ſerie delectatus, huic poſtmodum viæ in primovendis aliis quoque ſcientiis inſiſtere conſtituit. Anno 1631. à Comitiſſâ Devoniæ revocatus eſt, ut filii ſui tredecim annorum ſtudiis præeſſet: pro grato itaque erga patrem fratremque affectu, eam curam libentiſſimè accepit, & cum eo Anno 1634. Pariſios abiit, ibique cum *Martinio Merſenno*, Ordinis Minorum, & *Petro Gaſſendo*, celeberrimis Mathematicis, ferè quotidiè colloquutus, in promovendâ rerum naturalium ſcientiâ omnem operam impendit: atque licet An. 1637. cum Comite ſuo in Angliam rediret, cum celeberrimis his tamen philoſophis literarum commercia continuavit, donec ingrueret bellum civile in Angliâ? *Hobbius* eapropter quantocyus in Galliam ad eos, ut diximus, viros celebres contendit, ubi honeſtiſſimo otio literario uſus eſt (dum horrida bella affligerent ſuam patriam) at-

que ibidem conscripsit librum de *Cive*. Obiit 1679. ætate gravissimus. Anno sequenti Hobbesianismi Anatomen *Gisbertus Coquius*, Verbi Divini in Cokengen Minister edidit. *Ricardus* autem *Cumberlandus*, Episcopus *Pet.* disquisitione de legibus Naturæ, Philosophiæ Hobbesianæ Elementa accuratissimè expendisse videtur. Si fortè plura quis de ejus fatis percupiat scire, consulat eos, qui vitam *Hobbesii* solutâ oratione & ligatâ conscripserunt.

§. IV. Quantum attinet ejus scripta, non sunt unius argumenti, neque idiomatis.

§. V. Ejus errores, quàm brevissimè potero, hic adjungam, uti apud Clar. *Hartnaccium* ex *Hobbesii* scriptis excerptos invenio. (I.) Scriptura sacra dicitur verbum DEI, non tàm ratione principii, à quo est prolatum; quàm objecti, de quo agit; imò nec nominis inspirantis, sed hominis tantum scribentis. (II.) Fides ergo nostra, quam habemus Scripturæ S. non nititur authoritate DEI; sed existimatione de personâ, quæ eam revelationem literis complexa est. (III.) Prophetas autem DEUS miraculis editis commendavit populo, ut fide dignos. (IV.) Semina religionis naturalis sunt metus spirituum, eventus fortuiti, & quæ ex hominum phantasia judiciis, passionibus, aut consiliis diversorum diversis nascuntur. (V.) Religio omnis resolvitur

in fidem, quæ illius perſonæ habetur, qui iſthoc ad nos defert. (VI.) Atheiſmus ergo, peccatum utut graviſſimum, tamen imprudentiæ tantum eſt; etſi enim nonnulli ratione naturali exiſtentiam Summi Numinis inveſtigare poſſent: hoc tamen non omnium eſt imprimis qui ſeculo ejuſque bonis adhærent. (VII.) Quemadmodum DEUS ſub conditione benedictionis obligabat ſibi ad cultum Abrahamum: Ità hic quoque ſibi poſteros ad eundem ſibi cultum obſtringendi jus, vi ſuperioritatis ſuæ habuit. (VIII.) Authoritas itaque ſupremi magiſtratûs conſtituit in populo, ut S. Scriptura ſit regula fidei, eamque perſuadent porrò auditoribus ſuis verbi divini miniſtri. (IX.) Libros V. T. ab iis authoribus eſſe ſcriptos, quorum nomina præ ſe ferunt, perquam dubium eſt. Vix origo eorum altius, quam ad *Eſdram* deduci poteſt, qui auxilio Spiritus S. eos reſtituiſſe dicitur. N. T. demùm libri publicâ authoritate, quarto Seculo, à Concilio Laodiceni recepti ſunt. (X.) Summa interpretandi poteſtas penes eum eſt, qui habet ſummum imperium; in rebus fidei penes eccleſiam, quatenus à CHRISTO illud donum habet per impoſitionem manuum. (XI.) Unicus fidei articulus eſt, ad quem reliqua credenda referuntur omnia, nimirùm, quod JESUS ſit CHRISTUS. (XII.) Quoniam quicquid verè eſt, corpus eſt, neque magnum aliquid fingi poteſt, niſi cor-

poreum, DEUS utique maximum omnium corpus est: hoc passim sustinet seriò, & defendit, authoritate *Tertulliani*, atque, à Concilio *Nicæno* non definitum, DEUM esse incorporeum. Vid *Leviathan*, cap. 46. 528. *Deinde*, inquit, *nata est opinio de substantiis incorporeis*, id est, *nullam habentibus magnitudinem*, & *quod DEUS ipse Optimus Maximus magnitudinem non habeat*, *quanquam neque* Substantia Incorporea, *neque* Substantia Immaterialis *in Scripturâ sacrâ inveniatur*. (XIII.) Non possumus DEI ideam, aut conceptum in mente aliquem habere, quoniam infinitus est. (XIV.) Voces Hypostasis, Persona, Generatio, Processio incommodè in Divinitate adhibentur; præstat mittere argutias illas, & Scripturæ verbis loqui. (XV,) Angeli non sunt substantiæ spirituales, sed apparitiones tantùm, aut motus à DEO hominum mentibus immissi, ad voluntatem suam iisdem significandam: mali verò, vel prava hominum consilia, vel improbæ mentis terriculamenta, vid *Leviathan*. cap. 34. p. 186. *Angelus* vox Græca, apud scriptores tam sacros, quam profanos significat *Nuncium*; in scripturis autem sacris plerumque *Nuncium à DEO*: Nuncium autem à DEO est omne id, per quod DEUS supernaturaliter præsentiam, sive potentiam suam extraordinariam manifestam facit, præcipuè verò in somniis atque visionibus. De creatione angelorum in Scripturis Sa-

cris

cris nihil diverſis verbis traditur. Scriptores igitur eccleſiaſtici de naturâ angelorum diſſentiunt. Veterum autem patrum nonnulli corporeos eos putaverunt, alii nonnulli incorporeos. Vocantur paſſim in Scripturâ Sacrâ ſpiritus, ſed ſpiritus tum à ſcriptoribus Judæis, tum Græcis, modo corpora ſubtilia, ut aër, ventus, ſpirituſque animalium, modò phantaſmata exiſtimantur, quæ nec realia ſunt, nec diutius permanent, quàm ſomnium & viſio, in quâ apparent. Quæ phantaſmata, ſive apparitiones, etſi ſubſtantiæ non ſint, ſed accidentia organorum ſentiendi, quando tamen à DEO ad voluntatem ſuam ſignificandam, ſupernaturaliter producuntur, non impropriè nuncii à DEO, id eſt, angeli appellantur. *(XVI.)* Intellectus homini communis cum brutis, quià ab his prudentia ſæpe vincitur. Sermonis tantùm & ordinis beneficio has facultates ulterius promovet. Neque enim illa ratio nobiſcum naſcitur, uti ſenſus; ſed ejuſmodi facultas quædam, quæ prout exercetur magis atque magis, rectius porrò præſtantiuſque vires ſuas exerit; adeò ut vix quædam in his hominis à bruto ſecundum eſſentiam ſit differentia. *(XVII.)* Anima rationalis non legitur in Scriptura Sacra, condita à DEO naturâ ſuâ immortalis, aut ſubſtantia incorporea, ſed reſuſcitabitur ſolum homo ante diem judicii, per redemptionis Chriſti gratiam. *(XVIII.)* Origo juris DEI in

creaturas

creaturas, ſumma illius poteſtas eſt cui non poteſt reſiſti. Poſteà interceſſit pactum cum hominibus, apud quos pro temporum ratione diverſâ diverſimode illud adminiſtravit. Succedit autem Patri poſt judicium extremum in regno illo Chriſtus, qui id ſibi redemptione generis humani jus peperit. (XIX.) Venit autem Chriſtus in mundum, ut Patri regnum, quod in electione *Sauli* à populo rejectum fuerat, reſtitueret, & ſibi per pactum in Baptiſmo regnum aliquando pararet: & quamvis mors ejus pro omnium peccatis non ſatisfaceret, id tamen præſtaret, quod DEUS ſummè miſericors in pretium redemptionis lege poſtulaverit. (XX.) Quemadmodum ſupremus magiſtratus non injuſtè agit, quando innoxio vitam eripit: ità ſubditi quoque evitandi ſupplicii cauſâ, contra magiſtratum poſſunt inſurgere. Vid. *Leviathan.* c. 21. p. 106. Contingere ergo poteſt, & contingit ſæpe in civitatibus, juſſu ſummam habentis poteſtatem, innocentem etiam ſine injuriâ interfici; ut quando filiam ſuam occidit juſſit *Jephtha:* etiam in occiſione *Uriæ,* etſi rex *David* iniquè fecit, & contra DEUM graviter peccavit, contra *Uriam* tamen non peccavit, qui facti illius authorem ſe fecerat, *TIBI SOLI PECCAVI*; ſunt verba ipſius *Davidis* ad DEUM, à DEO enim ſolo obligari potuit rex; hic excitat reges contra ſubditos, & eos erigit in tyrannos; ſed

p. 106.

p. 106. incitat subditos contra reges, & classicum canit ad rebellionem; & certò ut eò semper tendat Atheorum doctrina, necesse est, quùm nullam aliam agnoscant potestatem, neque tribunal post hanc vitam: & quod ad hanc vitam attinet, principi obediendum, quià is timendus est. (XXI.) Non potest firmiter probari, cruciatus impiorum æternos fore. *Leviath. c.* 44. *p.* 295. *Per hanc*, inquit, *fenestram (scilicet immortalitatem animæ) doctrina illa tenebricosa intravit, de CRUCIATIBUS ÆTERNIS & de POENIS PURGATORII.* DEUM denique esse disertè negat his verbis: Quod autem res eadem & *spiritus* sit & *corporea*, intelligi non potest; spiritus enim loco & figurâ, id est, terminis & magnitudine suâ aliquâ determinatur; & proinde corpus est, utcunque tenue & insensile, illi igitur, qui mediatione propriâ in cognitionem venerunt unius infiniti, omnipotentis & æterni DEI, maluerunt illum supra intellectum nostrum incomprehensibilem esse confiteri, quàm naturam ejus per *spiritum incorporeum* (præter Scripturæ authoritatem) definire, & deinde confiteri definitionem illam non esse intelligibilem: sed DEUM esse spiritum incorporeum dixerunt fortasse non dogmaticè, ut naturam divinam per ea verba comprehenderetur, sed ex intentione piâ, DEUM attributo aliquo honorandi, quod corporum visibilium crassitudinem à

DEO

DEO removerent, quæ verba docent *Hobbesii*, DEUM esse materiam subtilissimam; quæ certè naturâ suâ condensationem non respuit, quemadmodum contrà, materia quæque crassissima naturâ suâ possit ità rarefieri, ut tandem deveniat *Hobbesio* omnipotens & æternus DEUS. Sed quantumvis crassè & impiè de DEO scripserit hic materiæ venerator, plures tamen habuit defensores valde benevolos atque ingeniosos, qui multis salibus magnum *Hobbesii* Leviathan inspergunt diligenter, ut omnibus lectoribus cibus fiat delicatissimus; sed frustrà certè & incassum, persuadebunt illis qui gustu non depravato noscunt inter mentem cogitandi facultate præditam & materiam inertissimam distinguere; neque quicquam adjuvare potest comparatio nuper posita inter *Hobbesium* & *Tertullianum*, qui & etiam DEUM corpus appellâsse legitur; cum non ex voce aliquâ inconsideratè forsan positâ, sed ex scopo authoris, ex toto contextu & ex argumentorum indole judicandum est. Omnis *Hobbesii* ratiocinatio eò tendit ut omnem substantiam immaterialem, DEUM, angelos, mentem humanam prorsus destruat, ut interea materiæ, τῷ Pan DEO suo, omnia studia sua, cogitationes atque cultum tribuat. Novimus quoque maximam differentiam inter *Tertulliani* tempora, & *Hobbesii* esse ponendam, cùm non ità accuratè vel cautè in vocibus adhibendis esse solebant istius seculi scriptores.

CAPUT

CAPUT X.

JAM tandem ad Atheorum principem devenimus *Benedictum Spinosam*, virum initio Judæum, sed posteà ob portentosas suas opiniones excommunicatum; atque sic tandem, nescio quibus artibus & fraudibus, inter Christianos nomen professum, & ab illo tempore à Judæis vulgo, *Arur Spinosam* dictum (id est) *maledictum*. A juventute dedit operam literis cum Rabbinis, & linguæ Latinæ atque *philosophiæ Certesianæ*, sub auspiciis *Franscisci van Ende*, hominis Athei; cui Atheismum *Spinosæ* acceptum referunt Judæi. Et postquàm frustrà tentâssent ei persuadere, ut opinionibus suis impiis renunciaret, extruserunt eum ex societate Judaicâ, ut inter Christianos venenum suum vomeret. Et quidam ejus gentis illum comædiâ egredientem, insidiosè adortus cultro leviter vulneravit, eoque suspicionem injecit, mortem sibi fuisse structam. Exin totus eos deseruit, & Christianorum se cœtui adjungens, Baptismo tinctus est, & velut linguam Hebræorum cum gente exosus, *Baruchi* nomen cum nomine *Benedicti* commutavit. Discessionem suam *Apologia* Hispanicè scripta defendit; hæc non impressa fuit, constat tamen, multa ibi contenta fuisse, quæ jam inserta leguntur detestando & perniciosó tractatui theologico, qui Amstelo-

O dami,

dami, non, ut mentitur titulus, Hamburgi, Anno 1670. editus, ac poſtea in Gallicum ſermonem tranſlatus fuit.

Spinoſæ philoſophiam exolenti, cum nec præceptores nec ullus ſcriptor, ulláve doctrina pro voto ſatisfacerent, ille ſummâ ſciendi cupiditate flagrans, ſed rationis ſuæ ambitioſæ malè argutæ viribus, magis quàm divino auxilio, fretus, quid ingenio ſuo valeret, experiri decrevit; *Carteſiique* ſcripta philoſophica præ cæteris in conſilium adhibuit. Poſtquam igitur ſe ab omnibus occupationibus expedivit; urbem Amſtelodamum, ubi natus & educatus fuit, quò minus ab amicorum ſalutantium frequentiâ interpellaretur, reliquit; Et converſationi omni quaſi renuntians, celebritatem cum ſolitudine permutavit, Rhenoburgi primò, tum Voorburgi, & tandem Hagæ-Comitis ſedem ſuam figens. In iſto ſeceſſu in inquiſitionem veritatis pertinaci induſtriâ incubuit; ſimul ſe in opticis, & tornandis poliendiſque vitris, quæ teleſcopiis, microſcopiis inſervirent, exercens. In inſtitutum ſuum tantâ animi contentione proſecutus eſt, ut per tres continuos menſes pedem domo non extulerit. Imò cùm Palatinus Elector, Anno 1673. ipſi profeſſionem philoſophiæ in academiâ Heidelburgenſi, cum ampliſſimâ, ſed religioni non obfuturâ, libertate philoſophandi obtuliſſet; eam dignitatem recuſavit, ne à promovendâ philoſophiâ, ut ipſe, in Epiſt.

54.

54. ſcribit, ceſſare deberet. Sic dum rerum naturalium eſſentias & proprietates curioſè magis, quam piè rimatur, in errorem *Capitalem* incidit: DEUM & *Naturam* unum eſſe & idem.

Interim fama hujus Anachoretæ philoſophici adeò ſe ruri non continuit, ut potius quæcunque ingenia quæ pro fortibus haberi vellent, ejus ambirent amicitiam. Condæus quoque Princeps, cum An. 1673. Ultratrajecti cum copiis Gallicis verſaretur, *Spinoſam*, literis publicis, ut ſine periculo iter facere poſſet, inſtructum, Hagæ-Comitis ad ſe evocâſſe dicitur, ut cum auctoritate tractatûs illius famoſi ſermonem haberet. Si tenorem vitæ & mores ſpectes, non tantùm ex eo tempore, quo evangelium cœpit profiteri, Mennonitarum aut Arminianorum cœtus Amſtelodami frequentavit, ſed etiam ab amicis, & agreſtibus, cum quibus arctius vivebat, hoc teſtimonium obtinuit: eſſe hominem affabilem, honeſtum, officioſum & moribus compoſitum; quo etiam ſolo, dicam Atheiſmi ab aliquo ſibi ſcriptam, Epiſt. 49, amovit. Ad poſtremum Hagæ-Comitis 23. Febr. poſtquàm annum ætatis 44. exceſſerat, phthiſi mortuus eſt, de Atheiſmo ſuo firmiter ut ferunt, perſuaſus; aut ſaltem ejus profeſſioni inhærens. Nam paulò ante obitum mandavit, ut *Ethica* ſua imprimeretur. Valdè autem cavit, ne qua immutati animi memoria de ſe extaret: nam ſeriò cu-

rare juſſit, ut ſi ſe morti vicinum vis morbi contra ſyſtema ſuum forte moveret loqui, omnes ſuſpectæ fidei arbitri, nominatim eccleſiaſtici, removerentur.

Johannes Chriſtoph. Sturmius in Diſſert. de *Carteſianiſmo*, oculis ſe eum uſurpâſſe pag. 165. refert, & teſtatur, *fuiſſe Spinoſam miſerandum homuncionem*, *vitam egiſſe in obſcuro*, *neque tum auſum execrandas opiniones ſuas divulgare*. Inclaruit imprimis *Tractatu Theologico-Politicò de libertate philoſophandi*; ut, ſub philoſophandi libertatis prætextu, ei ſuam impietatem eructare eſſet integrum, anſam verò hujus libri publicandi in præfatione author ſibi fuiſſe profitetur mores & conſuetudines, paſſim in eccleſiis Proteſtantium receptas; in quibus ſcilicet ex litibus lites ferantur & naſcantur, ſordida avaritia & ambitio dominetur, non honos & gloria DEI quærantur & naſcantur, ſed ipſi ſe doctores apud populum vanâ gloriâ jactent; librum modo dictum, primum ſuppreſſo nomine edidit, & quidem, ut titulus prodit, *Hamburgi*, apud *Henricum Künrath*, cum eodem tempore, ſcilicet, Anno 1670. nemo ibi ejus nominis, nedum bibliopola, vel typographus inveniretur; viciſſim vero anno quoque 1684. ſpecimen artis ratiocinandi eodem inſtitutore Pſeudonymo prodiit, utique ejuſdem illius ſpinoſiſſimi ſcriptoris; in eodem enim refellit, nonnunquam *Blyenburgium*, qui linguâ Batavâ Ethicam ejus per-

perstrinxerat, quam Anno 1690. *Christoph. Wittichius* examinavit. Cæterum tractatum illum Theologico-Politicum refutare aggressus est pariter anonymus J. M. V. D. M. in Epistolâ ad Amicum, editâ Ultrajecti ex officinâ *Cornelii Nonart*. Porrò hunc tractatum à capite ad calcem confutavit *Regenerus à Mansfield*, Professor Philosophiæ olim Ultrajectinus. Post obitum *Spinosæ*, à discipulo suo quodam, edita fuerunt opera posthuma ejusdem, in 4to. in quinque libros divisa: primus ejus *Ethicam*, secundus *Politicam*, tertius *de intellect. humano melius dirigendo*, quartus continet *varias Epistolas* ad viros doctos, & ab illis ad eum datas; quintus libellus *Grammatica Hebræa*. In Ethicâ geometricè procedit, qui postquàm definîsset substantiam, esse ens per se subsistens; inde deduxit unicam in mundo esse substantiam scilicet DEUM, quo nomine indigitandæ veniunt omnes creaturæ, cujuscunque sunt generis, simul sumptæ; & hoc falsissimo & infirmissimo fundamento innituntur omnes ejus demonstrationes, *Orobius*, Medicus Judæus Amstelodamensis omnia *Spinosæ* scripta confutavit; quæ manuscripta apud *Orobii* nepotes servantur, ut retulit mihi *Dn. Meza*, Rabbinus atque Medicus Amstelodamensis celeberimus. Porrò *Velthuisen*, atque *Poiret* solidissimè *Spinosæ* impietatem corripuerunt, nec non doctissimus *Johannes How*, idiomate Anglicano, libro, cui

cui titulus, *The Living Temple*, acutissimè impietatem ejusdem atque absurditatem patefecit & refutavit.

§. II. *Spinosa* autem dogmata ab *Hobbesio* hausisse dicitur. DEUM autem & Naturam esse synonyma, multi inter priscos tradiderunt, Vid. *Albert.* in 1. *physs. tract.* 3. *lib.* 13. apud *Bæilium*, " *Alexander* " *Epicureus* dixit, DEUM esse materiam, " vel non esse extra ipsam, & omnia es- " sentialiter esse DEUM, & formas esse " accidentia imaginata; & non habere ve- " ram entitatem, & ideò dixit idem esse " substantialiter, & hunc DEUM appella- " vit aliquando Jovem, aliquando Apolli- " nem, aliquando Palladem. Et formas " esse peplum Palladis & sub veste " Jovis." Sed inter *Spinosam*, & aliquos veteres Atheos hæc una differentia, quod illi raptim & confusè, hic magis prolixè & systematicé. Quandoquidem ergo, DEI negare existentiam, *horrendum facinus!* esse fatetur ipsemet præfationis operibus Spinosæ præfixa auctor; cujusmodi *reverà in Sapientes ne cadat*, *ne cadere possit*, omnem movit lapidem, qui præ cæteris mortalibus sapere & sibi & discipulis suis videatur. Cæterum mera sunt æquivocationum ludibria, quibus fucum incautioribus facere studet sceleratus nugator. Etenim DEUS, cujus existentiam videri vult agnoscere, non est ei Supremum illud Numen,

Numen, à quo, tanquam à primo auctore, ſive primâ cauſâ efficiente, (ut in ſcholis loquimur) omnia condita eſſe, omnia conſervari ac gubernari, immoto animorum conſenſu nos credimus, & evidenter ſcimus: ſed DEI nomine naturam intellige, id eſt, univerſum hoc, ſive quicquid ambitu ſuo complectitur hic mundus, ex ſe ipſo & per ſeipſum ab æterno exiſtens,nec ullam ſui cauſam externam, ſive efficientem, ſive fatalem agnoſcens. Deus namque & Natura ei paſſim ſunt ſynonyma; & quod nunc huic, idem mox illi tribuere; imo partes naturæ, ipſius DEI Divinæque Eſſentiæ partes, conceptis verbis appellare non dubitat, in Demonſtrationibus ſuis Ethicis. Sed ipſâ luce clarius evadat, *Spinoſam* non agnoſcere DEUM, qui mundi hujus conditor ſit, eundemque gubernet & ipſi proſpiciat, ſupra allatis teſtimoniis adjicimus locum alterum ex appendice Ethices, ubi palàm in eos invehitur homo extremè profanus, " Qui credere non potuerunt, creaturas " ſeipſas feciſſe; ſed concluſerint, dari ali- " quem, vel aliquos naturæ rectores, hu- " manâ præditos libertate, qui ipſis omnia " curaverint, & in eorum uſum omnia fe- " cerint. Atque hinc ſtatuerunt DEOS " omnia in hominis uſum dirigere, ut ho- " mines ſibi devinciant, & in ſummo ab " iiſdem honore habeantur; unde factum " ut unuſquiſque diverſos DEUM colendi " modos ex ſuo ingenio excogitaverit, ut

" DEUS eos ſupra reliquos delegerit, & " totam naturam in uſum cœcæ illorum " cupiditatis & inſatiabilis avaritiæ dirige- " ret. Vide quæſo (ità pergit) quo res " tandem evaſit! inter tot naturæ commo- " da, non pauca reperire debuerunt, in- " commoda, tempeſtates, ſcil. terræ motus, " morbos & alia: atque hæc ſtatuerunt " propterea venire, quod Dii irati eſſent " ob injurias ſibi ab hominibus factas, ſive " ob peccata in ſuo cultu commiſſa, & " quamvis experientia indies reclamaret, " ac infinitis exemplis oſtenderet, commo- " da atque incommoda piis æque ac im- " piis promiſcuè eximere, non ideo ab in- " veterato præjudicio deſtiterunt —— pro " certo ſtatuo, Deorum Judicia humanum " captum longiſſimè ſuperare. Quæ ſanè " unica fuit cauſa, ut veritas humanum " genus æternum lateret, niſi Matheſis a- " liam veritatis normam hominibus oſten- " diſſet." Hiſce omnibus non obſtantibus, adeò eſt impudens ac ſine fronte maledictus ille hypocrita, inquit *Kortholt*, ut negare auſit, quidquam docuiſſe, quod pietati, bonis moribus, & religioſæ virtutis praxi poſſit derogare. Alia ejus dogmata, ſc. nullos eſſe Diabolos, vel Spiritus, nullum Cœlum, vel Infernum; nulla eſſe præmia aut ſupplicia, corollaria ſunt ex ſuperiori dogmate ſua ſponte emanantia, neque neceſſe eſt, ut ea perſequamur. Hæc itaque dicta ſunto de *Spinoſâ*. Si quis plura ſcire

cupiat,

cupiat, adeat *Bæylii* Lexicon; *Hartnaccium* de hæresiarchis, *Kortholt* de tribus Impostoribus; *Jagerum*, qui fusè ejus dogmata enarrant; *Emanuel Weberus* eum tamen scripto Germanico defendere conatur.

Anno 1688. *Casimirus Liszynsky Podsedeck Brzesky*, Nobilis Polonus, in carcerem conjectus est ab Episcopo Wilnensi sub prætextu, quòd, quia DEUM negaret, omni jure esset destitutus. Hic quidem protestatus est contra tales injurias sibi illatas, cum nondum sit convictus, atque accusabat Clerum, quod inquisitionem Hispanicam introducere vellet. Clerus verò contra, eum reum facere cupiebat, non solùm Atheismi, sed etiam, quod dixerit, matrimonium sacrum nihil nisi nudum esse pactum. Quapropter etiam filiam suam cognato cuidam nubi voluit, ob quam causam excommunicatus esset. Sed ut majorem speciem acquirent hæ accusationes, scriptum quoddam producebatur 15. paginarum, in quo argumenta contra DEI existentiam collecta erant, & simul hoc legebatur; *DEUS non est creator hominis, sed homo est creator DEI, quia DEUM sibi finxit ex nihilo*; ex quo manifestum esse putabant, hunc verum esse Atheum.

Senatores Reipubl. protestabantur contra hunc processum judicii ecclesiastici, quia antea cognitionem causæ habere debuissent. Sed his nihil moratis, illud judicium pergebat, & accusabat hunc homi-

nem, coram Fiſco Lithuanienſi, cui etiam ſe ità declarabat; "Divinam Majeſtatem "agnoſco ac veneror, in vicariâ ſui Chriſti "majeſtate; ego adoro eum, qui eſt cre- "ator, rector & conſervator mundi, ego "verò ſum miſera creatura." Simul malam corporis ſui conſtitutionem excuſabat, ità, ut lingua ejus palato adhæreret, quare advocatum ſibi concedi petiit. Porrò etiam contra accuſatores ſe defendebat: "Ego "credo DEUM eſſe, & quæ ſcripſi, non "meo nomine ſcripſi, neque iis aſſentior; "ſed ideò omnia, quæ alii ſcripſerunt, "colligebam, ut in alterâ parte refutarem, "& nova argumenta proferrem ad veram "DEI eſſentiam confirmandam. Quod "verò adjeci, *nos Athei credimus*, ideo "factum eſt, quià Atheum loquentem in- "troducebam. Sæpiùs miratus ſum, quod "Alſtedius tam levia argumenta attulerit "pro exiſtentiâ DEI, & ob hanc cauſam "ea annotavi:" Inſimul adduxit fortiora argumenta coram judice pro exiſtentiâ DEI, quàm aliàs leguntur. Advocatus ejus oppoſuit exceptionem termini illegitimi, quòd non legitimè citatus & incarceratus fuerat, cui verò per decretum regale os occluſum eſt, & ultimus terminus ad cauſam dicendam brevis ſatis indicabatur. Tunc advocatus iterum probabat, accuſatum nullâ laborare pertinaciâ in voluntate, neque errore intellectu, ſiquidem tantummodo aliorum ſententias exſcripſerit ſine appro-

approbatione, ſed potiùs cum propoſito eos refutandi. Cùm præterea hic ſenſus ex ipſius vitæ curriculo ſatis appareat, quod teſte toto comitatu, Chriſtiano more peragebat, quid quod enim brevi ante ſuam captivitatem cœnâ ſacrâ utebatur, & largas eleemoſynas porrigebat. Scripta ſua reliqua jam vero à ſuis accuſatoribus ſurrepta, multas quoque pias meditationes continere, Denique pollicitus eſt, hæc omnia jurejurando confirmare, & gratiam implorabat.

Sed accuſatores pertinaciter inſiſtebant, lachrymas accuſati fictas appellabant, bona opera non effectus eſſe fidei, gratiam & condonationem regis nullam eſſe, quià ſine juſtitiâ maxima eſſet tyrannis.

Deinde patebat, ut ſibi concederetur, ſe in cœnobium conferre, ubi innocentiam ſuam palàm facere vellet. Sed nihilominus morti adjudicabatur, 10. Martii Anno 1689. coactus eſt palinodiam canere in eccleſiâ & regis gratiam implorare. Quo facto die 28. demùm ſupplicio adjudicatus eſt, & rex ipſi ex gratiâ conceſſit, ut gladio decollaretur. Quæ decollatio die 30. Martii facta eſt, corpus verò ejus in cineres reductum ſicque tormento injectum, ex ipſo verſus Tartariam explodebatur. Ut pleniùs demonſtrarent, hunc fuiſſe Atheum hoc Epitaphium allegârunt, quod ſibi ipſi feciſſe dicebatur.

Heus Viator!
Lapides iſtos cave prætereas;
Nihil ad hos offendes, niſi veritate offendaris,
Diſces à Saxis,
Verum:
Quod homines, etiam qui ſciunt, id eſſe verum,
docent eſſe falſum.
DOCTRINA SAPIENTUM PRUDENS
eſt mendacium.

§. III. Adjungenda hic hiſtoria inſignis, é libello, de ſtatu imperii Turcici deprompta, idiomate Anglico conſcripto, authore *D. Ricaut*, quæ ſic habet: " Illi, qui inter " Turcas Atheiſmum profitentur, *Muſarini* " nominari geſtiunt, (i. e.) qui habere pe- " nes ſe verum ſecretum: cujus ſecreti " ſumma hic redit, DEUM nullum agnoſ- " cere, atque conſtanter affirmare, princi- " pium internum aliquod cujuſque indivi- " dui, curſum omnium rerum dirigere. " Sol, luna, atque aſtra cætera inde habent " originem atque motum, neque hominis diſ- " ſimilis eſt ratio, pullulat enim, creſcit, viret, " denique marceſcit, non ſecus atque her- " bæ, cæterique flores. Mirum & incredi- " bile dictu, quantus eorum numerus ſit " *Byzantii*, qui hanc fovent opinionem, " quorum maxima pars in ſcriptis Ara- " bum verſatiſſima, & dignitate *Cadiſii*, " ſeu judices, reliqui ſunt Chriſtiani pro- " fugi, & apoſtatæ, qui conſcientiæ morſi-

" ſibus

" ſibus atque exprobrationibus exagitati, " propter renunciationis ſcelera, nihil ma- " gis volunt, quàm ut cum hoc mundo " ſpectabili omnia finiantur. *Mahomet Ef-* " *fendi*, vir in literis Orientalibus apprimè " doctus, atque hujus opinionis propugna- " tor acerrimus, ſupplicio publico eſt af- " fectus, dum eſſem Byzantii, propter va- " rias blaſphemias contra exiſtentiam DEI " ab eodem jugiter effuſas. Ad ſuam im- " piam opinionem ſtabiliendam, hoc ar- " gumento uti ſolebat: *aut* nullus eſt *pla-* " *nè* DEUS, *aut non eſt tàm potens*, neque " tàm ſapiens, *quàm ille à noſtris doctoribus* " *eſſe perhibetur*; *alioquin me, qui odio &* " *contemptu ejus exiſtentiam laceſſo, exagito,* " *& perſequor, ſi quis ullus alius mortalium,* " *maximo, non tàm diu vivere permiſiſſet.* " Et, quod mireris, tametſi poſſet vitam " redimere, ſi meliora in futurum profiteri " polliceretur, abhorrendo à tàm impiis " opinionibus, conditionem tamen planè " reſpuit, dicens, ſe potius moriturum pro " veritate, licet benè noverit, ſibi nulla " manere præmia.

" Fateor (pergit author) me olim credi- " diſſe, nullum dari Atheum, ſatis perſua- " ſus exiſtentiam Numinis demonſtrari poſ- " ſe ex lumine naturali; ſed incredibilis " hujus hominis pertinacia me clarè docuit, " eſſe etiam homines, qui horrendum in " modum omnia rationis lumina & ſenſum " Supremi Numinis prorſus extinxerint.

" Hujus

" Hujus sectæ venenum ità est subtile, ut " eunuchos, fœminas, præfectos infecerit, " & in aulæ usque penetralia irrepserit. " Qui hanc sectam colunt, mirè se invi- " cem diligunt, humani sunt & affabiles, " fidei hujus socios libenter hospitantes, " quos postquam lautioribus conviviis ac- " ceperint, noctu illis offerunt elegantis " formæ socias atque amabiles, quando " tempus est eundi cubitum. Aiunt Sul- " tanum *Morat* mirum in modum favisse " huic sectæ & in aulâ & militiâ, quamvis " inter vulgus aliam sectam, austeram pie- " tatem præ se ferentem, *Zadezadalis* voca- " tione, promoveret. Huic valde similis " apud Chinenses est secta decantatissima " literatorum dicta, in rebus gerendis ver- " satissima, ideoque à rege in pretio habita; " quamvis mundum hunc aspectabilem " æternum & incorruptibilem credat; ne- " que ullum agnoscat Numen, ab ejusdem " materiâ & compagine distinctum; om- " nemque de animæ futuro statu doctrinam " susque deque habeat, ac veluti politicè " excogitatam, sibilo explodat."

Habetur quoque apud illustrissimum *Leibnizium*, *lib. Theodicèe* p. 15. historiam non dissimilem: " L'aneantissement de ce " qui nos appartient en propre, portè fort " loin par les Quietistes, pourroit bien etre " aussi une impieté chés quelques uns: " comme ce qu'on raconte du Quietisme " de Foë auteur d'une grande secte de la

" Chine,

" Chine, lequel apres avoir prêché ſa re-
" ligion pendant quarant ans, ſe ſentant
" proche de la mort, declara a ſes diſciples,
" qu'il leur avoit caché la verité ſous le
" voile de metaphore, & que tout ſe redu-
" iſoit au neant, qu'il diſoit etre le pre-
" miere principe de toutes choſes." Mentionem denique facit *Arnoldus* ſcriptor Germanicus in Americâ ſectæ *Ceraveas* nomine, cujus patroni DEUM eſſe negant, ſed omnia fato regi & gubernari ſtatuunt. Sed quicquid ſit de philoſophorum ſectis, incredibile prorſus eſt gentes integras ſine DEO, ſine lege, & ſine ratione vivere. De veteribus quidem *Callaicis* ſub gente Hiſpanicâ vulgo comprehenſis narrat *Strabo* lib. 3. ἔνιοι δὲ καλλαικοὺς ἀθέους φασὶ, quidam *Callacos* non agnoſcere DEUM aiunt, ſed ſuſpicari licet, hoc inde fuiſſe, quià nulla haberent ſimulachra in templis, quod & aliis nationibus commune erat. Sunt qui de *Braſilienſibus* hoc ſtatuerunt, ſed meliora edocti jamdudum famam mendacem viri eruditi docuerunt. Vid. *Joh. Ludov. Fabricii* Apologeticum pro genere humano contra calumniam Atheiſmi, ubi attenditur, rudem fortè obſcuramque divina tractandi & enuntiandi rationem, penes barbaras gentes obſervatam pro Atheiſmo fuiſſe habitam; ſed *Bælius* generatim hanc opinionem approbat, ratus ſcriptores itinerum, præſtantiſſimæ famæ viros, jamdudum in aprico poſuiſſe, quòd Atheæ gentes in

Americâ

Americâ invenirentur: ſed venire illi in mentem debebant quæ, ex ſcriptoribus non deterioris famæ in contrariam partem attulerunt alii. Propter hanc variaſque opiniones exiſtentiæ & attributis DEI parùm faventes, & ipſe à multis impietatis accuſatur, & hoc certum eſt, hunc ſcriptorem elegantiſſimum, magni ingenii gloriam turpi philoſophandi licentiâ deturpâſſe in perpetuum.

Sunt plures qui *Campanellam* quoque accuſant impietatis propter varias infrunitas opiniones in libro de *ſenſu rerum*; ubi & quatuor elementis vitam tribuit atque ſenſationem, imò ſaxis metalliſque ſingulis ſenſum ineſſe ſtatuit. *Ego*, inquit, *Thomas Campenella, quatuor de ſenſu rerum libros ſcripſi, maximè neceſſarium ad oſtendendum DEUM eſſe contra Atheos, ejuſque ſtatuam & ſimulachrum, non autem corpus eſſe mundum viſibilem contra Var. & Plin*, &c. *Defero lib. de ſenſu rerum, p.* 27. " Porrò adeò
" acceptus regi Galliæ, ac regni proceribus,
" ut ſcripta ejus à doctoribus Sorbonicis in
" lucem publicam protracta manu clemen-
" tiſſimâ acceperint; licet in iis de ſanctiſ-
" ſimis Chriſtianæ fidei myſteriis, otioſis
" ſuis ſpeculationibus acutè quidem ſatis,
" ſed tamen impiiſſimè ac maximè blaſ-
" phemè ſenſerit."

CAPUT

CAPUT XI.

§. I. HÆC itaque ſunt, quæ de omnium temporum Atheis maximè famoſis commentari hac vice viſum eſt, ubi, ut res ipſa loquitur, propoſitum nobis non fuit, vel veram contra Atheos eccleſiæ ſententiam operoſè confirmare, vel quibus ea oppugnatur adverſæ partis argutias in examen vocare curioſius, quod ferias heic fecerint nobis viri doctiſſimi, qui de induſtriâ contra Atheiſticam impietatem pro veritate Chriſtianæ religionis libros dudum ediderunt, ex. gr. *Giſbertus Voetius. Petr. Dan. Huetius* in Demonſtratione Evangelicâ. *Merſennus* Comment. in Geneſin. Sic etiam *Hugo Grotius*, *Marſilius Ficinus*, *Philipp. Mornæus*, & *Abbadius* in ſcriptis eorum de veritate relig. Chriſtianæ. Itidem *M. F. Dyrois* Preuvez & Prejugéz pour la religion Chretienne; & Reverendi Epiſcopi *Edvardi Stillingfleeti* Epiſtola ad Theiſtam, quâ religionis & ſacrarum literarum veritas vindicatur. *Malebranchii* Converſationes eccleſiaſticæ, quibus Veritas Religionis & diſciplinæ Chriſtianæ aſſeritur. Diſcours contre les Atheès par *M. Tillotſon* Archeveque de *Canterbury*. Conciones Gallicæ D. de Superville. *D. Sam. Parkeri* Diſput. de DEO. *Burcheri de Valder* Diſputat. Philoſophicæ de Atheis. *Dn. de la Serre* Sepulchrum Atheiſtarum. *Joh.*

Lud. Fabricii Apologeticum pro genere humano contra Atheismum. *Joh. Sam. Pufendorff* de Jure Nat. & Gent. passim. *Frider. Spanhemius* in Selectis de Religione Controversiis. *Rudolph. Gottfr. Knichen*, in Opere Politico. *Bentleyus* contra Atheos. *Cudworthii* Systema Intellectuale Anglicé. *Joh. Paul. Habenstreit* Theologia Naturalis. Sicut enim Gallica & alia scripta à Dn. *de Seckendorff* de statu Christian. Cui annecti potest *Frid. Weisii* lumini gratiæ prælucens lumen naturæ, ubi ex naturâ tantùm veram religionem probare conatur: sed nimiùm tribuebat naturæ, cum nobis lumine gratiæ jamjam donatis, facile sit talia invenire, quæ gentiles naturaliter optimi & honestissimi nunquam invenissent. *Spinosam* refutavit *Henric. Morus*, *Mansveldus*, *Lambert*, *Velthuysen*, *Bleyenburgius*, *Petrus Poiretus*, *Abbadius*, *Christ. Witticbius*, & *Petrus Yvon*; qui postremus *Cartesianos* & Patr. *Malebranche* adortus probare conatur, *Spinosam* venenum suum ex *Cartesii* principiis suxisse. Et pro viribus eorum impietatem propalare, & patefacere, ut Atheorum esca, verborum lenocinio, æquivocatione, & fraudibus temperata, capiat & inficiat imbecilles incautorum animos.

§. II. Sed antequam manus tollamus ab hâc tabulâ, adjiciemus historiam unam vel alteram, quibus pateat ab hoc fermento, Atheo-

Atheorum aliquos divinâ misericordiâ & assiduitate amicorum fuisse liberatos. Notissima est historia *Francisci Junii*, qui in suâ vitâ de seipso sic scribit: "Memini, "quum libros *M. Tullii* de legibus per "illud tempus, auctore & suasore Barthol. "Anulo, *Gymn. Rect.* expenderem, & no- "tas quasdam in eos animadversionesque "colligerem; venire hominem quendam "ad me, & illa *Epicuri* verba, quæ libro "primo extant, nihil curare DEUM, "nec sui nec alieni, multis quàm diligen- "tissimè confirmare: ad quæ ego non ra- "tione judicioque certè respondebam: sed "assensionem paulatim adhibens, sentie- "bam venenum serpens, quod imbiberam, "confirmari in me: & cum auctoritate "hominis, tum argutiis dictorum ejus præ- "ceps eo deferebar, ut meus animus in "isto malo hærens occallescceret, totusque "fieret ἀνάθεος." *Modum vero liberationis sic habeto suis verbis.* "Hic ergo Novum "illud Testamentum divinitus oblatum re- "perio: aliud agenti exhibet se mihi as- "pectu primo augustissimum illud caput "*Johannis* Evangelistæ & Apostoli, *in* "*principio erat Verbum, &c.* Lego par- "tem capitis, & ita commoveor, legens, "ut repentè divinitatem argumenti, & "scripti majestatem auctoritatemque sense- "rim, longo intervallo omnibus eloquen- "tiæ fluminibus præeuntem. Horrebat "corpus, stupebat animus, & totum illum

" diem sic afficiebar, ut qui essem, ipse " mihi incertus viderer esse. Recordatus " es mei, Domine DEUS mi, pro im- " mensâ misericordiâ tuâ, ovemque perdi- " tam in gregem tuum recepisti. Ex eo " tempore, quum in me DEUS tam po- " tenter spiritûs sui virtute irruisset, alia " frigidius & negligentius legere & tractare " cœpi: de his vero, quæ ad pietatem per- " tinet cogitare amplius, & ardentius in " eis versari."

§. III. Quæ sequitur historia non est minus notabilis. " N. N. Gente Italus, " patriâ Consentinus Franciscani Ordinis " Monachus, postquam varias in ecclesiâ " Romanâ fraudes detexit, quibus circum- " venire alios Monachi solent, imprimis pa- " tres monasterii, in quo degebat, quippe qui " ægre ferentes monasterium suum reliquis " splendore multò esse inferius, hanc frau- " dem excogitârunt. Caput imaginis Christi " in cruce pendentis primò dissecârunt, " deinde excavârunt, atque cavitatem cu- " curbita salita impleverunt, terebra facto " foramine circa utrumque oculorum an- " gulum, ut sole caput irradiante, humor " cucurbitæ salitæ efflueret; atque re mox " publicatâ, populo persuaserunt, imagi- " nem plorare, quod non eâdem frequen- " tiâ suum monasterium, atque alia visita- " rent & adorarent, imò totum ejus tem- " plum negligerent, ut sensim minaretur " ruinam; quo facto populus affatim con-

" fluens,

" fluens, munera non contemnenda appor-
" tavit, & lachrymarum guttas aliquas
" charo pretio redemit; atque ità Monachi
" paulò ante pauperrimi, facti sunt opu-
" lentissimi.

§. IV. " Post hæc de veritate religionis
" Romanæ dubitare cæpit Monachus, &
" mox quæ corde pressit publicare, motis
" contra plerosque articulos dubiis; quod
" multis, imprimis ex Neapolitanis nobili-
" bus placuit, atque ab iisdem postmodum
" in secretum locum ductus, ubi magna
" hominum multitudo, præsertim nobilium
" convenerat, ubi differentem, nesciebat ab
" initio quem, de omnium rerum ex fortu-
" ito atomorum concursu sine Numine au-
" divit, cujus existentiam orator mox in
" dubium vocabat, mox negabat. Pede-
" tentim itaque in Atheismum - incidit,
" præsertim postquam vidit se hoc pacto
" variis Nobilibus placiturum; & in eo
" tantum fecit progressum, ut excusso om-
" ni Numinis metu, contemptim de religi-
" one & hominibus religiosis subinde lo-
" quutus fuerit; tandem multis suspectus
" ad inquisitorem delatus & in carcerem
" est conjectus; neque aliâ viâ evadere po-
" tuit, quam ficta palinodia, ita jubente
" Cardinale de Laurea.

§. V. " Quamprimum verò è carcere li-
" beratus, aliorsum se conferre statuit, ubi
" tutius

"tutius animi sui placita publicare sibi li-
"ceret, & quia putabat inter Reformatos,
"utpote homines nullius religionis (quoad
"ille audiverit) se fore tutissimum, ad eos
"transitum fecit; sed divinâ providentiâ
"factum, ut ad virum doctissimum pariter
"atque pientissimum accederet, qui ejus
"Atheismum citò detexit, purioris doctri-
"næ vere Christianæ ideam sibi proponi
"vidit, ex quibus rebus factum est, ut
"non ità multò post, & Atheismum, &
"religionem Romanam deposuerit."

§. VI. *Tertia* historia illa *Roffensis Comitis*, conscripta à Venerando Præsule, *Gilberto Burneto*, Sari episcopo, in libello propter elegantiam, Latinè redditò Ultrajecti 1698. cui titulus est: *Roffæ Comitis in extremis μετάνοια*, seu *pœnitentia salutaris*; ubi narratur, quomodo Comes ille, cum profanam ac belluinam vitam diu satis egisset, præsulis opera ad DEUM per veram pœnitentiam sit tandem conversus, postquam prius ille huic sua cogitata, opinionesque ac præjudicia mala aperuerat. Insuper fessus est Roffensis Burneto, se vehementer fuisse confirmatum in opinionibus suis Atheisticis, atque præsertim *de mortalitate animæ*, postquam amici sui maximè intimi anima post mortem promissis non stetit; ante prælium enim navale contra Batavos, datis dextris sibi invicem promiserant, ut si alteruter malo fato fungeretur,

retur, & à vivis decederet, superstiti compareret, & quid in alio mundo ageretur, accuratè referret. Sed quàm injustum & incongruum sit hoc postulatum multis verbis atque solidis docet venerandus episcopus; animæ separatæ non sunt sui juris, neque planè convenit Majestati Divinæ identidem novis atque reiteratis miraculis, hominum libidini atque curiositati satisfacere. Hic lubet apponere Comitis moribundi ultima verba sinceræ pœnitentiæ plenissima: *For the Benefit of all those whom I have drawn into Sin by my Example and Encouragement, I leave the World this my last Declaration, which I deliver in the Presence of the great GOD, who knows the Secrets of all Hearts, before whom I am now appearing to be judged, that from the Bottom of my Soul, I detest and abhor the whole Course of my former Wickedness, and that I can never sufficiently admire the Goodness of GOD, who has given me a lively Sense of my pernicious Opinion, and vile Practices by which I have hitherto lived without Hope, and without GOD in the World; I have been an open Enemy to Jesus Christ, doing utmost Despite to the Spirit of Grace. And that the greatest Testimony of my Charity to such, is, to warn them, in the Name of GOD, and as they regard the Welfare of their immortal Souls, no more to deny his Being or his Providence, or despise his Goodness, no more to make a Mock of Sin,*

Sin, or contemn the pure and bleſſed Religion of my Redeemer, thro' whoſe Merits alone, I, one of the greateſt of Sinners, do yet hope for Mercy and Forgiveneſs. Amen.

Declared in the Preſence of

ANNE ROCHESTER,

ROBERT PARSONS.

Sealed,

J. ROCHESTER.

Quæ Latinè ſic ſonant: " In communia " mortalium commoda, atque illorum im- " primis, quos exemplo meo & inſtigatio- " ne ad vitam diſſolutam & depravatos " mores ſeduxi, ultima hæc & intima ani- " mi mei cogitata, coram DEO pronun- " tio, qui ſecreta cordium novit, & qui " me mox judicaturus eſt. Profiteor pa- " lam me ex animo, vitæ meæ curſum " hactenus male tranſactæ vehementer de- " teſtari, & ab eâ abhorrere quantum poſ- " ſum, maximè: fateor quoque me non " ſatis poſſe DEI bonitatem erga me ad- " mirari, quæ ut pleno aſpectu errores " mentis & vitæ diſſolutiones abundè ob " oculos ut videam mirè effecit. Hacte- " nus etenim ſine ſpe & ſine DEO, proh " dolor! vixi; in odio habui Jeſum Chriſ- " tum; & Spiritum Sanctum, omnis gra- " tiæ authorem, petulanter contempſi.

" Quam-

" Quamobrem omnes atque ſingulos hor-
" tor, precor, obſecro in nomine DEI
" immortalis (majora enim charitatis meæ
" argumenta dare non poſſum) ſi ſalus ani-
" marum propriarum cordi ſit, in futu-
" rum neque exiſtentiam ejus in dubium
" revocate, neque providentiam negate,
" neque bonitatem ejus vilipendite, pecca-
" tum ut ſuſque deque habeatis, diligenter
" cavete, neque caſtiſſimam excellentiſſimam
" redemptoris mei religionem ſpernite; prop-
" ter cujus ſola merita ego peccatorum maxi-
" mus adhuc remiſſionem peccatorum ſpero."
Huic non diſſimile eſt, quod de ſeipſo fatetur *Ruſſius Rabutinus* Comes, hujuſmodi pactum inter ſe & quendam *Jumellum* interceſſiſſe, idque utrique tantopere fuiſſe cordi, ut quoties alter alterum morti eſſe propinquum exiſtimaret, identidem de exſolvendâ hâc poſt mortem fide commoneret. Ac cum poſtremò *Jumellus* iſte diem obiiſſet, *Buſſius* ipſius ſpectrum per multas noctes avidè à ſe, & ſine ullo pavore fuiſſe expectatum commemorat; verùm id fruſtrà, atque incaſſùm. Et quanquam apertè non dicat, ſeſe hâc re incœptâ dubitatione eſſe confirmatum, tamen ità multis poſt annis vixit, ut haud eſſe pientiſſimum, facilè poſſet intelligi. Ipſe ſanè in T. I. Epiſt. Gall. pag. 209 lecto libro Rev. *Abbadii* de Verit. Rel. Chriſt. ita ſcripſit: *Juſques icy je n'ay point eté touché de tous les livres, qui parlent de DIEU, & j'en*

voi bien aujourd' hui la raison. C'est que la sourse m'en paroissoit douteuse, mois la voiant claire, & nette dans les livres de l' Abbadie, il me fait valoir tout ceque je n'estimois pas, &c.



ORATIO

ORATIO
DE
ORIGINE & PROGRESSU
Chriſtianæ Religionis
APUD
BRITANNOS.
Habita die Natali
Sereniſſimæ PRINCIPIS
WALLIÆ.
Primo die *Martii*, 1716.

Cui accedit Diſſertatio Hiſtorica de Ortu & Progreſſu Romani Pontificatûs.

Autore J. T. PHILIPPS.



Odarium Cambrobritannicum.



Cymry mwynion medrys
Meun rhynwedd daun a dyſc
Duw heddu yn rhodd anſonodd
Twyſoges yn ein myſc.

E in gwared rhag pabyddiaeth
A Diſtriu tîr ein gwlâd
Trwy audwr fradwr dyrys
Heb gantho fam na thâd.

Duw gatwo y wîr winwydden
Ai holl Hiliogaeth hardd
Tro fyddo dydd gwyl Ddewi
A Chennin Gwyrdd meun Garrdd.



ORATIO



ORATIO

DE

ORIGINE & PROGRESSU

Christianæ Religionis

APUD

BRITONES.



VIRI Britones antiquitate generis, mitrâ, togâ, vel armis splendentissimi, cujuscunque denique ordinis vel dignitatis, incolæ, accolæ, cives, hospites, quotquot estis.

Quod felix faustumque sit universæ patriæ, ecclesiæ, & nobis omnibus, revertentis hujus anni post mille & septingenta decimi sexti, mensis Martii primus hic illuxit

luxit dies: quo ſedulò operam demus ut triſtia & feralia ne nominentur quidem: ſi quid enim unquam DEI beneficio atque munere, datum fuit Britannis, quod meritò atque optimo jure gauderent, id profectò illis accidit hodierno die, quo cumprimis Sancti *Davidis* Menevenſis Archiepiſcopi recolimus memoriam, viri pietate erga DEUM & erga patriam maximè conſpicui. Inſuper, quod profectò caput rei eſt, celebramus hodie natalem diem Sereniſſimi Dominæ *Carolinæ Walliæ* Principis, antiquitate generis, bonis fortunæ, corporis formâ, & animi dotibus, locupletiſſimæ, de quibus ſigillatim mihi eſſet dicendum, niſi nimis verear, ſancti viri manibus, optimæ principis virtutibus, vobis omnibus, ipſimet mihi denique, me minimè placiturum; & quod amplius dicam, valdè metuo, nè forſitan eandem referam reſponſionem, quam retulit olim, non ſine multo ſale, *Herculis* laudator aliquis imprudentiſſimus, reſpondente ex adſtantibus nonnullo, *Ecquis eſt hominum, quæſo te, qui non laudat, qui non adamat, & mirum in modum non admiratur* Herculem, *niſi bipedum qui ſunt longè inutiliſſimi?* Quamobrem aliud proponendum eſt mihi hoc tempore argumentum, quod, quemadmodum ſpero, gratum erit convivis eruditis, quam quod gratiſſimum, ut non minus animo quàm ventre delectemur, quemadmodum memoriæ eſt traditum de

3 *Pompo-*

Pomponio Attico, qui ſine aliquâ lectitatione nunquam cænare ſolebat. Audiviſtis, auditores, hoc matutino tempore eloquia DEI, in linguâ Cambrobritannicâ, in hac metropoli & per ſparſas hujus regni provincias, olim vernaculâ, & veſtro beneficio, viri generoſiſſimi, poſtliminii jure revocandâ. Sed quia varietas delectat, Latino ſermone de ortu & progreſſu Chriſtianæ religionis apud Britannos, apud me ſtat hoc tempore perorare coram. Quamobrem vos quæſo, excitate atque expergefacite animos veſtros, quæque de rebus omnium graviſſimis dicere ingrediar, ut penitus percipiatis, navatote operam quantum poteſtis maximè. Majores noſtri, inſulæ hujus aborigines, eâ quæ nobis divinitus affulſit æternæ veritatis luce, caruerunt; nihilominus tamen, cum admirabilem innumerabilium ſtellarum ſine ullâ erratione decurrentium, varietatem notaverint, facilè intelligebant præpotens aliquod numen eſſe oportere, immenſum, infinitum, atque ſapiens, a quo rerum univerſitas, & a principio conſtituta eſſet, & ejus concilio & voluntate regeretur. Poſtquam autem humani generis redemptionem ſervator glorioſus confeciſſet, primis temporibus poſt Chriſti reſurrectionem, viri Apoſtolici incolis hujus inſulæ ſalutarem evangelio doctrinam promulgare voluerunt, annis benè multis, antequam *Petrus* veniſſet Romam, teſte *Baronio* aliiſque hiſtoricis pontificiis, quare

S non

non eſt quod laboremus, an hiſtoria ſit vera, vel antiqua traditio, cum in hoc negotio confitentes habeamus reos. Sub imperatoribus *Romanis* propagata fuit Chriſtiana religio, & *Diocletianâ* perſecutione, martyrum noſtrorum irrigatâ ſanguine, magis magiſque viguit. *Conſtantinus Magnus*, in gremio eccleſiæ Britannicæ edoctus, primus fuit Imperator Chriſtianus, cui pontifices Romani quicquid habent poteſtatis meritò acceptam referunt, & ſi ſana mens ineſſet eis, quibus maximè ineſſe debet, gratâ voluntate colerent eccleſiam Britannicam, quæ tot & tantis beneficiis beavit Romam, ſed perit quod facis ingrato! Doctrina Chriſtiana quemadmodum a viris Apoſtolicis recepta, ita immutata manſit ad adventum gentis Saxonicæ, quæ ad media ſeculi quinti, Britanniam appulerunt, qui haſce terras limpidiſſimis evangelii ſcaturiginibus irrigatas invenerunt, qui cum vi & armis, multas provincias ſub ditione ſuâ redegiſſent, integra manſit religio inter incolas, pendendo tributum victoribus, quemadmodum poſtulant mores bellici, cum quibus brevi tempore poſt coaluerunt; ex quibus clarè patet doctrinam Chriſtianam inter Angloſaxones fuiſſe notiſſimam quinquaginta vel eo amplius annis, antequam *Auguſtinus Monachus*, turpis lucri ſpe, & dominandi libidine ductus, oras appulerit Britannicas; ſexto quippe ſeculo venit homo vafer & ventoſus, ad invadendam noſtram eccleſiam, erigen-

do novum archiepiſcopatum in ipſa archiepiſcopi Londinenſis diœceſi, quamobrem ipſo facto ſchiſmaticus; ſed homo ſuperbus, hiſce malis artibus minimè contentus, quin & eccleſiam Cambrobritannicum igne & ferro perſequutus eſt, inſtigando *Edelfredum* Northumbriæ regem ut bella inferret Cambris, quo bello, in defendendâ primitivæ eccleſiæ diſciplinâ, contra reptitias Romæ innovationes, bis mille præter propter, viri eccleſiaſtici vitam cum morte mutare non dubitârunt, quorum crudeliſſima cædes, ſine ultione non diu manſit: *Cadwallus* quippe Walliæ & Cornwalliæ rex, *Edelfredum* ad fluvium Humbriam uſque ingenti ſtrage profligavit, eccleſiamque Britannicam, in iſtis regionibus ſtabilivit, quam & *Oſwaldus* rex ab Aidano epiſcopo Britannico edoctus, poſtea coluit diligenter. Regnum Cantii non armis, ſed pactis, ceſſit Saxonibus, manente ibidem integrâ Chriſtianâ religione, cum novis hoſpitibus communicandâ, linguâ Saxonicâ per ſpatium 50 annorum Britannis familiari redditâ, vel Britannicâ Saxonibus, quod & in aliis hujus regni provinciis proculdubio obtinuiſſe affirmare auſim, ità ut omnes facilè intelligant, evangelium inter Saxones non Romano, ſed miniſterio Britannico fuiſſe propagatum, cum verum ſit quàm quod veriſſimum; populum Britannicum in Loegriâ & Albaniâ, nullo modo fuiſſe deletum, vel ſedibus ſuis expul-

ſum, ſi excipias viros nobiles nonnullos, qui in Cambriam ſeſe receperunt, cæteri victricibus Saxonum legibus, ſalvâ ſuâ religione ſeſe ſubmiſerunt, quem morem, ſine ullâ exceptione loci atque temporis, obtinere novimus, hinc manifeſtum eſt conſequens, incolas Angliæ & Auſtralis Scotiæ, linguâ tantùm, non ſanguine, non moribus, a Cambrobritannis eſſe diſtinctos, ità ut quotquot eſtis, Britanni eſtis origine; Romani, Saxones, Dani, Normanni, nullam fere vel leviſſimam certè mutationem, in magnâ gente efficere potuerunt; invaſiones quippe peregrinorum, inundationis ad inſtar, brevi tempore, per agros longè latéque diffunduntur, ſed citò tranſeunt, atque flumina ſuo alveo decurrunt iterum, colluviei per campos, hinc inde veſtigiis aliquibus remanentibus. Quod ſi ità res ſe habeat de ortu religionis Chriſtianæ, ejuſque propagatione apud majores noſtros; avetis ſcire auditores, unde tanta zizania eccleſiæ Romanæ, ità ut in nullâ regione, majorem protulerint ſegetem, quàm in agris Britannicis? Reſponſio eſt in promptu, invadendo rapacibus manibus rem alienam, feriundo optimos principes excommunicationis fulgore, ignorantiam craſſiſſimam fovendo, cujus beneficio adulterinas ſuas merces majore venditarent precio, omni denique turpiſſimi ambitûs genere, quibus & hodierno die utitur aſtutia epiſcopi Romani: ſed quod præter cæteras machinationes rei pontifi-

pontificiæ omni tempore inservire novimus, est doctrina illa rudis & incondita, vel ut clarius dicam, plane Judaica quâ attribuitur Papæ, quicquid Judæi suo, quem frustrà somniârunt, & usque expectant Messiæ. Extollunt enim suum pontificem supra reges & imperatores, attribuendo illi imperium plane singulare & absolutissimum. Quod ut efficerent, Scripturæ Sacræ opposita fuit theologia ecclesiastica, Juri Civili autem & edictis *Cæsarum*, oppositum fuit Jus Canonicum, quam malesanam doctrinam tempore *Caroli Secundi* quintæ Monarchiæ expectatores inter nos profitebantur palam, neque desunt homines specietenus ecclesiæ Anglicanæ commodo & caritate ducti, multos hunc in finem effutiunt sermones plane inconditos, sed intùs & in cute homines si introspexeris, dominandi libidine sunt perciti, Papæ sunt tubicines, & turpissimæ præcursores servitutis, ab omnibus æquis æstimatoribus meritò sunt habendi. Hisce in antecessum positis, si reformationem religionis defendendum in me susciperem, idem supervacaneum aggrederetur opus, ac si Israelita nonnullus, exitum ex Egyptiacâ vel Chaldaicâ servitute, jubente DEO, magno apparatu verborum defendere satageret, vel quod in eodem redit, si fidelissimus coronæ Magnæ Britanniæ subditus, restaurationem *Caroli Secundi*, legitimam esse, multis argu-

gumentorum ponderibus probare contenderet, cum nemo eſt hominum qui non novit, ex ſupra dictis, Papam Romanum non majorem authoritatem habere in eccleſiam Britannicam; quam Mahumedanæ religionis antiſtes habere poterit. Equidem non ſumus neſcii, ne cui longa & indubitata poſſeſſio deberet auferri, apud Romanos obtinuiſſe uſucapionem & præſcriptionem, ſed tamen in aliquibus caſibus etiamſi maximè quis bonâ fide rem poſſideret, (*Juliani* Imperatoris ſunt verba) non tamen illi uſucapio ullo tempore procedit, veluti ſi quis liberum hominem, vel rem ſacram vel religioſam, res furtivas quoque & vi poſſeſſas, ſub poteſtate habeat; leges *Attilia*, *Julia*, & *Plautia* prohibent, ut diutina poſſeſſio prodeſſe poſſit poſſeſſori. In excutiendo Pontificis Romani duriſſimo jugo, agebatur, viri Britones, de capite libero, de re ſacrâ, de re vi & furto a juſtis poſſeſſoribus ablatâ, rapacibus manibus ſacerdotis ſuperbiſſimi. Hiſce itaque miſſis, conſideremus diligenter quomodo DEUS Optimus Maximus, principibus noſtris benè vel malè dixit, quemadmodum & illi benè vel malè epiſcopo Romano voluiſſe videbantur; *Henricus Septimus Colleto* & *Warnero* valde favens doctoribus in expugnandis Romæ ſuperſtitionibus, maximè inſignibus: proh DEUM hominumque fidem quot quantiſque ſucceſſibus proſperis uſus

eſt

eſt hic egregius princeps in eruendis bellorum civilium radicibus, quibus unicè innixa erat religio pontificia in noſtrâ patriâ; *Henricus Octavus* magnificus liberalis, in aſſerendâ libertate patriæ & eccleſiæ magnanimus, a *Carolo Quinto* imperatore & a Galliarum rege, aliiſque principibus in pretio habitus. *Edwardi* hiſtoria eſt breviſſima, ſed religionis noſtræ cultoribus lectu jucundiſſima. *Maria* populo & fatis reclamantibus, contra torrentem brachia diregebat, Romanis incitata facibus. *Elizabetha* rem reſtituit, diu & feliciter vixit, quare ſubditis ſuis, mors ejus acerbiſſima, & memoria maximè colenda in perpetuum. Cætera non eſt quod proſequar, ſed breviſſimis quam potero verbis, animi cogitata vobiſcum, quotquot eſtis viri Britones, communicare non dubito; triſtiſſimis temporibus vivimus, pro aris & focis pugnamus, libertatem & rem ſacram defendimus, viri Britones, hic eſt articulus temporis, quo unuſquiſque noſtri, oſtendere debet quid & quantum ſit hominis, ut univerſi intelligant, nos nullas impenſas, difficultates nullas, capitis pericula nulla recuſaturos pro caritate patriæ; omnibus enim bonis expedit ſalvam eſſe libertatem civitatis; percurramus quæſo, vetuſtiſſima & recentiora tempora, claræ ſunt mortes habitæ, pro patriâ obitæ; *Codrum* commemorant hiſtorici,

rici, qui se in medios immisit hostes, famulari veste indutus, ne posset agnosci, quoniam oraculum erat datum, si rex interfectus esset, victrices fore Athenas. Lacedemonibus *Leonidæ*, Thebanis *Epaminondæ* præclarissima sunt nomina, sed & *Latimeri*, *Hooperi*, *Cranmeri*, *Ridlei*, *Ferrarii* in ore est omnis populi Britannici, ut prætermittamus alios bene multos, qui pro libertate patriæ & religionis mortem obierunt acerbissimam. Eandem regionem juxta cum religione possidemus, idem sumus populus, ab omni idololatriâ, rebellione, perjurio abhorrentissimus, quod attinet illos, vitiis hujusmodi turpissimis afflatos, monstra sunt hominum, & carcinomata corporis Britannici. Habemus nihilominus tamen quod regi nostro GEORGIO, quod nostris principibus, ecclesiæ, patriæ, & nobis ipsis valdè gratulemur, cum videamus tot & tantas societates, magnâ animorum consensione initas magnoque vinculo amicitiæ & fidelitatis confirmatas, ad defendendam libertatem patriæ, inter quas illustrissimas societates, hæc antiquorum Britonum cum primis meritò venit nominanda, infirmo meo sermone non tamen laudanda coram, opus hoc prudenter relinquo Britonum nepotibus. Sed antequam finem faciam perorandi, vos monitos esse velim, viri Britones, omni tem-

tempore fuiſſe hominum genus, qui nihil rectè factum, niſi quod ipſi faciunt putant, in arduis quidem rebus & honeſtis, inertes ſunt & ignavi, in alienis verò rebus corripiendis, audaciſſimi, hi cum nihil per ſeſe laude dignum proferre velint, alios cum ob res bene geſtas, in precio apud bonos eſſe noverint, adeò cruciantur & affliguntur, ut non eis cibus, non potus, non lux, non vita ipſa ſuavis, nihil denique præter maledicendi ſatietas, illis dulce eſt; hoc commune eſt, omnibus eis, qui patriæ & eccleſiæ inſervire incipiunt, ut ſtatim ab invidis, eorum fama, quaſi a turbine aliquo quatiatur, & labefactetur; quâ in re, qui adeò delicati, & puſilli animi ſunt, ut perterreantur, & ab incepto deſiſtant, ii nihil unquam egregium, aut laude dignum exequi poterunt, qui verò tam generoſâ tamque excelſâ mente præditi ſunt, ut quamvis undique maledictorum aculeis inceſſantur, nihilominus tamen, quod ſemel in ſalutem vel ornamentum patriæ, & in utilitatem multorum, prudenter & rectè inſtituerunt, conſtanter urgent, & ad veri honoris atque dignitatis enituntur arcem, ii verè magni viri æſtimandi ſunt. Sed ingenio fortaſſis diutius debito indulſimus, dies eſt genialis, aliquid concedendum eſt genio,

ut omni ex parte hodierna ſolemnitas ſit integra & verè Britannica, vivat dominus noſter & princeps clementiſſimus GEORGIUS rex, vivat ſereniſſimus & ſereniſſima Walliæ Principes, vivat regia ſoboles, omnes boni Britones dicitote, vivant.

D I X I.



EXER-




EXERCITATIO

Hiſtorico-Politica

DE

PAPATU.



PRÆSENTIS argumenti magnitudo atque dignitas (ad quod rectè tractandum cum omnium minimè ſim paratus) me aliquandiu à ſcribendo deterruit: jucunditates tamen cum utilitate conjunctiſſimè unitæ, vicerunt. Præſertim cum diligentiùs mecum perpendiſſem, nihil poſſe tractari cum majore meo fructu, nil aptius fore ad delectionem lectoris, quàm temporum varietates, atque eccleſiæ chriſtianæ varia fata & viciſſitudi-

nes; quæ etſi non ſunt experiundo optabiles, lectu tamen jucundiſſimæ; habet enim præteriti doloris ſecura recordatio delectationem. Multa egregia de politiâ eccleſiæ Romanæ poſſunt prædicari; ſed, ut alia miſſa faciam, hoc tantum habeo polliceri, Papatum eſſe ædificium tam politâ arte conſtructum, ut nullis conſiliis humanis compactius, vel elegantius, vel magis compoſitum quid confici poſſit. Unde & quicunque bene verſatus eſt in omnibus ejus technis, & deceptricibus circumveniendi modis, in omni republicâ ſine ullâ exceptione loci vel temporis ſummus facilè evadit politicus.

Ortum atque progreſſum eccleſiæ Romanæ diligentius repetere, natura & brevitas noſtræ diſſertationis non patitur; multo minus movere litem pontifici, & diſceptare, an ipſe ſit ille Antichriſtus; & multa id genus alia, quæ theologorum foro excutienda veniunt. Nihil aliud nos propoſuimus, quàm tantummodo deſignare periodos aliquis magis conſpicuas, in quibus incrementa cæpit eccleſiæ Romanæ pontificatus, atque ſocios epiſcopos ſub jugo miſit. Tum quoque quomodo à poteſtate imperatorum ſeſe vindicaverit. Quomodo tandem ad ſummas anguſtias redacta fuerit & collapſa. Denique quo pacto præter opinionem atque expectationem omnium, inclinatum atque exulceratum papatum, diligentiâ pontificum reſtituerit. Quæ omnia,

ut

ut ordo rerum expoſcet, excutienda veniunt in ſequentibus. Hoc interim exiſtimet lector, etſi conſiliis hominum præcipuè inhæreamus, providentiam divinam nos nullo modo excludere; alibi tamen fuſius notandam.

Poſtquam humani generis redemptionem ſervator glorioſus confeciſſet, paucis annis poſt, ſi fides ſit hiſtoricis, diffuſa fuit per totum terrarum orbem Chriſtiana religio; ſparſaque evangelii doctrina per Aſiam, in Paleſtinâ, Syriâ, Armeniâ, Arabiâ, Aſiâ minore, inſulis Cypri, Cretæ; & per Africam in Egypto, Cyrenaicâ, Lybiâ, Æthiopiâ, *&c.* per Europam in Græciâ, Macedoniâ, Thraciâ, Italiâ, Hiſpaniâ, Galliâ, & diviſâ ab orbe Britanniâ: Plin. Epiſt. XCVII. lib. 10. fruſtrà refragante Diabolo neque obſtante invidiâ Judæorum, atque ſævitiâ ethnicorum qui tum potiebantur rerum. Hi enim quamvis graviſſimè animadverterent in omnes Chriſtianos, nullâ ſexûs, ætatis, vel dignitatis ratione habitâ, nihilominus Chriſti ſectatores, inſigni afflatu inſpirati nec non ingenti animo donati, inſiſtebant cæptis, etſi inermes atque illiterati; tantumque aberat, ut re infectâ unquam diſcederent, ut potius egregiâ animi alacritate doctrinam ſanguine comprobarent: argumentum profecto haud infimum pro veritate religionis Chriſtianæ.

De

De fundatore eccl. Romanæ nil attinet in initio multis commemorare. Pontificii graviſſimè contendunt, divinum *Petrum* primum fuiſſe Romæ epiſcopum, atque illi maximè religionem Chriſtianam ibi ſtabilitam acceptam referunt. Altum vero *Lucæ* ſilentium de *Petri* apoſtoli œcumenico pontificatu; de hujus extenſione ad annos viginti quinque; de actis *Petri* cum eſſet Romæ; de ſucceſſore cum eâdem poteſtate inſtructo, moleſtè ferunt pontificii; nam occaſio illi non una fuit, *Petri* Romanum iter, & præſentiam in urbe Româ memorandi, cum maximè, quando tam accuratè deſcripſit iter *Pauli*, & acta cum circumſtantiis minimis dum eſſet Romæ, Act. 28. Sunt bene multi auctores non infimi ſubſellii nec obeſæ naris, in ordine utroque Romanenſium & Proteſtantium, qui planè negant *Petrum* unquam fuiſſe Romæ; quales *Baptiſta* Mantuanus, *Johannes* Aventinus; doctores pontifici: inter reformatos ſuper hâc re eminet magnus *Spanhemius.*

Utcunque ſit, non admodum litigo. Satis conſtat, *Paulum* commoratum fuiſſe Romæ, per totum biennium, ἐν ἰδίῳ μισθώματι, Act. 28. Et ſub *Nerone* multitudo ingens Chriſtianorum inveniebatur *Romæ*, vigente adhuc perſecutione per ſparſas imperii provincias, qui ſeſe acerrimos Chriſtianæ cauſæ defenſores oſtenderunt, dum horribiles pœnas & longè crudeliſſimas læto animo

mo dederunt, quales defcribit *Tacitus*, *Annal. Cap.* 44. *Pereuntibus addita ludibria, ut ferorum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defeciffet dies, in ufum nocturni luminis urerentur.* Ad hæc alludit Juvenalis Sat. 1.

Pone Tigellinum, & tædâ lucebis in illâ.

Crefcente vero hæreticorum fegete per Afiam atque Africam, Roma adhuc cafta manebat & intacta virgo, evangelicæ veritatis ftudiofiffima. Etiam ad trecentos annos plus minus retinuit fidei documenta & ecclefiæ difciplinam fine labe, aut ullâ innovatione notabili, ufque ad ultima *Conftantini Magni*. Inde propter conftantiam quæ fuit maxima, prudentiam in regendâ ecclefiâ, atque diligentiam in corripiendis hæreticis magnam famam apud exteros confecuti funt epifcopi Romani. Notandum autem eft, in omnibus horum temporum fcriptis & monumentis, unde doctrina & praxis Chriftianorum conftat, altum effe filentium, neque ulla veftigia hodiernæ fuperftitionis. Nil equidem de epifcopi Romani œcumenico pontificatu, atque de ecclefiæ Romanæ dominatione. Ut verum fatear, victor infultantis animi fpecimen, edidit benè manè, qui more infolito in focios graviffimè invehebatur, in negotio pafchali; verum non fine tempeftivâ,

peſtivâ caſtigatione *Irenei* epiſcopi Lugdunenſis.

Sub initia ſeculi tertii magna utique in moribus ſimplicitas, & ardentior charitas, officia mutua præſertim erga pauperes, viduas, & ægros: de quibus *Tertullianus.* Studioſè etiamnum vitabant, quæ gentilium ritus & ſuperſtitionem redolerent. Senſim tamen à primâ cum ſimplicitate, tum integritate diſceſſum eſt, in ritibus atque moribus. Hinc cum primis in epiſcopis & clericis faſtus intolerabilis, ambitio, æmulatio, diſſidia, perpetuæ lites, de quibus queruntur paſſim epiſtolæ *Cypriani.* Inde quandoque rituum pompa & ceremoniarum apparatus, quorum non paucæ ut Judaicæ, ſic paganæ originis. Seculo quarto ſub initia imperii *Conſtantini Magni*, poſtquam ad religionem Chriſtianam ſe contuliſſet, ſubito, ecce! nova rerum facies, per edicta & conſtitutiones pro libertate Chriſtianâ, inhibitis perſecutionibus, quæ hucuſque eccleſiam propemodum exhauſerant. Non multò poſt conſecuta eſt gentilium proſcriptio, quâ cultus ethnicus ceſſare juſſus, aræ, idola, ſimulachra templis evulſa, ipſis his converſis in uſus Chriſtianos; erectis quoque ſcholis in quibus bonæ literæ & ingenuæ artes traderenter. Si quæ provincia vacaret, Chriſtianis demandata. Reditus ſacerdotum ac flaminum, hæreditates martyrum, ſi deeſſent ſucceſſores, per civitates ſingulas in uſum eccleſiæ aſcribebantur

bantur. Ità ecclesia omninò alia facta quam initio fuerat, altâ jam requie, persecutionibus finitis, episcopi tristissimorum temporum immemores, sumptibus propemodum effusis viventes, nil magis ambibant quam pontificatum œcumenicum, alii cautè & obscurius, alii minus dissimulanter, usque ad tempora *Bonifacii Tertii*, & *Phocæ*, qui invicem sese iniquè stabiliverunt.

Hactenus tamen documenta fidei manserant ferè integra, vel levissimè læsa; sed inde de die in diem omne ruit in deterius, ritusque superstitiosi magis magisque, invaluerunt. E. gr. usus cereorum seu luminarium, etiam extra vigiliarum tempora: scrupulosa abstinentia à certo genere ciborum; cælibatûs admiratio nimia; peregrinationum primordia, uti ad templum Hierosolymitanum, sic ad sepulchra martyrum; reliquiarum conquisitio; invocatio sanctorum, atque id genus alia. Præcipuè nova indies incrementa sumsit institutum monachale, cujus initia sic habeto: viri religiosi, ut felicius cum DEO agerent, sesedebant à convictu hominum, modicè viventes, & in humilibus laribus ex virgultis cum cespite constructis, vel in cavernis abditissimis habitantes. Et propter novitatem rei, tantamque pietatem monachorum, vicini spectatum veniunt, non sine munere, ut monachus haberet unde honestè viveret. Augescente dein re familiari, deferbebat

zelus atque prima ſimplicitas, lapſuque temporis cœperunt nihil magis cupere, quàm ſplendorem, & ædificia ſuperba æquantia palatia principum: abituro faſtu in otium, ignorantiam ſcripturæ, veſtium ſuperſtitionem, ac fædam denique idololatriam.

Eccleſiâ ad hæc faſtigia elevatâ ſummo ſtudio contendebat, ut talis rerum ſtatus & abundantia non unius ætatis tantum, ſed perpetuus foret & ſtabilitus; ut politici proſpicientes, quantum poſſunt id ſtudent, ut ſtatus reipublicæ ſit æternus, præ aliis imprimis huc intenti epiſcopi, inter quorum ſtratagemata, meritò recenſenda venit audientia epiſcopalis, innixa verbis *Pauli* 1 Cor. 6. Nempe, ut evitarentur ſcandala, oriunda ex provocatione ad tribunalia ethnicorum, honeſtius fore exiſtimabant, ut Chriſtiani accederent ſuos paſtores, qui de cauſis cognoſcerent, & propter gravitatem & auctoritatem, partes in gratiam redigerent. Sed ecce horribilem abuſum inſtitutionis profectò laudatiſſimæ! Illi moderatores qui ex pacto facti erant arbitri, ſe faciunt dictatores atque judices quaſi lege conſtitutos, facilè perſpicientes, quantum ex ſuo uſu eſſet talis juriſdictio, quâ ad ſuum forum demum lites fere omnes revocarent. Obtinebat quoque iſtis temporibus, ut paſtor adeſſet matrimoniis, ad preces fundendas, & ſponſum atque ſponſam ad mutuum amorem exhortandos,

unde fenfim factum fuit, ut nullum matrimonium celebraretur fine permiffu epifcopi. Hinc tandem divortia, nullitates matrimoniorum, fucceffiones, hæreditates, in foro ecclefiaftico agitanda venirent; ubi tandem nuptiæ omnes intra confanguinitatis gradum ab ecclefiâ definitum, illigitimæ habebantur: id maximè afficiebat principes atque magnates, ufque adeò ut raró detur matrimonium in Europâ inter principes extra gradus prohibitos; hinc difpenfationes maximis fumptibus comparandæ fuerunt, vel cenfuris papalibus continuo ipfi vexandi. Ut felicius procederet nova machinatio, adhibitâ fimulatione religionis, decretumque eft ut habeatur matrimonium pro facramento. Commenta equidem ridicula: quia conjugia Judæorum & Mahumedanorum æquè legitima & valida exiftimari debent, ac noftra; quippe quæ ad jus naturale meritò revocari debent. Quod fi tamen velis facramentum, unde eft quod facerdos præ quibus, te judice, laicus eft telluris inutile pondus, tam divino facramento privetur; cum facramenta à DEO inftituta nunquam polluant?

Inter ea quæ admodum ftabiliverunt papatum maximè recenfenda videtur excommunicatio, quæ non modo plebem fed etiam potentiffimos reges & imperatores afficiebat ità, ut pontifex pro libitu incitaret cives adverfum fuos principes, pœnâ graviffimâ denuntiatâ illis, quicunque aut

convictum aut colloquium haberet cum ullo homine excommunicato. Adeò ut neceſſe eſſet, aut in ſummâ miſeriâ diem ſuum obire, aut ſe ſinere ſpoliari dignitate ad libidinem ſuperbiſſimi ſacerdotis. Quamvis hodiè bullæ papales, fulgura è vitro principibus exiſtimentur, & deferveſcat iſte furor apud cordatiores homines. Et quidem non temerè. Excommunicatio etenim legitima, fortunam, vitam, & hæreditates, nullo modo afficit ; tantùm monet homines, niſi præſtiterint morem & obedientiam mandatis Chriſti, non poſſe Chriſtianos haberi eos, qui violârunt leges Chriſtianæ ſocietatis, taleſque eccleſia pronunciat ejiciendos, donec reſipiſcant. Longè ſecùs ſe res habet in illis, qui violant leges civiles, ubi obtinet axioma vetuſtiſſimum, *qui politicè peccat, politicè puniatur.*

Ad An. poſt Chriſti natum 312. Gentes ſeptentrionales Gothi, Vandali homines planè rudes & barbari, quibus ſe jungebat magna colluvies omnium gentium, per Alpes Romam uſque penetrârunt, ferro & flammâ regiones vaſtârunt, urbes ceperunt & poſſiderunt: ut jam antè ferè moriens imperium, diem ſuum obiiſſe videretur. Illis triſtiſſimis temporibus evertebantur ſcholæ, ubi artes tradebantur, ludi magiſtri & doctores claudere officinas bonarum artium, & ſibi quiſque quâ cuique proximum eſſet, fugâ ſalutem quærere cogebantur, dum Martis quàm Minervæ caſtra ſequi

qui per id tempus satius & conducibilius esse videretur. Hinc ignorantia densissima incubabat ecclesiæ, superstitionis atque errorum fæcundissima mater. Pontifex interim quovis pretio adulterinam mercem in tenebris vendebat. Christiani ipsi, cæteroqui orthodoxi, multum jam ante contulerant ad introducendam ignorantiam, propter philosophos gentiles, qui infensissimos hostes Christianorum se ostenderunt, tum in scribendo tum in persecutiones excitando. Quidam etiam ex illorum numero, qui castra gentilium deserebant, evadebant ferè pestilentissimi hæretici, religionem Christianam, cum philosophiâ confundebant; ità ut publicis edictis interdictum quoque fuerit, gravi denuntiatâ pænâ; ne amplius legantur authores prophani. *Hieronymum* certè fingebat post obitum, dedisse pœnas latinitatis suæ, quià mirè versatus fuit in legendis operibus *Ciceronis*, pro quo tamen delicto, sc. pro nimis accuratâ latinitate, insequentibus seculis neminem scholasticorum dedisse pœnas, ausim affirmare.

Excussis literatis auctoribus ex hominum manibus, sacerdotes scribebant pro arbitrio, quicquid ex suo usu fore ducebant, figmenta quælibet & falsa miracula nemine contradicente. Politicam docebat clerus, qui nil decerneret, quod aliquo modo non inserviret dignitati ecclesiasticæ. Episcopus Romanus in tantis tenebris maximè

imè ambiit pontificatum œcumenicum, fruſtrà retinente imperatore, propter barbarorum vim incredibilem, atque motus civiles per totas ſparſas imperii provincias in oriente; Perſis regiones integras longè latéque vaſtantibus; & poſt illos Saracenis (*Muhammedo* duce, homine obſcuro loco nato, verum aſtuto & inſigni audaciâ prædito) per Syriam & Ægyptam, graſſantibus: qui dum Damaſcum capiebant, Arabiam ſubigebant, valde inclinatus erat ſtatus imperii in oriente. Atque hæc admodum inſerviebant epiſcopis Romanis ad erigendum pontificatum.

Urbs Roma, orbis terrarum princeps, multum contulit ad ſtabiliendum Papatum, propter vetuſtatem & magnam famam. Et fatale neſcio quid huic urbi conceſſum videtur, ut, occidente quoque imperio, Roma tamen de novo imperet. Quodque mirabile dictu, uti primis initiis primi fundatores (ſi hiſtoricis ſit fides) erant latrones, ſicarii & peſſimi quique homines; ità quoque novi dominii principes, pontifices ipſi (teſte ipſo *Baronio)* perditiſſimi omninm qui ſunt, qui erant, vel futuri ſunt. Imperatorum vero error fuit longè maximus, in ſede imperii transferendâ Conſtantinopolim, relictâ Româ, quam debuiſſent ſibi ſervare ante omnia, propter auctoritatem urbis & antiquitatem, tum & ad epiſcopos compeſcendos, & motus ſeptentrionales cohibendos, uti homines longè bellicoſiores

quàm

quàm in oriente Afiatici: unde jam olim aliquis, *Philippum* cum viris, *Alexandrum* cum fœminis pugnâffe.

Poft tranflatam Conftantinopolim imperii fedem, illius loci epifcopus admodum fuperbiit propter præfentiam aulæ & imperatoris; & jam locum præcipiebat Antiochænis & Alexandrinis epifcopis, quibus antea per multos retrò annos femper cefferat. Contendebat etiam de loco cum epifcopo Romano. Hic cum nullos agnofceret fuperiores, ille nullos pares, cœptum eft fcriptis adverfariis difceptari. Et *Gregorius* I. quidem fuperbiam epifcopi Conftantinopolitani graviffimis verbis caftigavit, dum fuperbum & Antichrifti præcurforem nominavit: fucceffores autem *Gregorii* longè aliter fenferunt, & dominatione in dies augefcente, procul agentibus in oriente imperatoribus, immodeftius multo fe gefferunt, & nihil non tentârunt per fas aut nefas, ad introducendum dominatum abfolutiffimum.

Interfecto, imperatore *Mauritio*, à perfidiffimo *Phocâ*, hic cum multum apud populum, largitionibus effufis, valeret, imperio potitus eft: refiftente admodum epifcopo Conftantinopolitano, qui nullo pacto probabant hominem ficarium & regicidam gaudere imperio. Igitur ille ad epifcopum Romanum confugit, cui nihil gratius, quam habere lites exteras in fuo foro agitandas. Mox hic *Phocam* legitimum imperatorem,

peratorem pronunciat;[y] *Phocas* viciſſim, ne ingratus videretur epiſcopum Romanum ſalutabat pontificem maximum, ſive epiſcopum œcumenicum.

Obtinere quoque cœpit, ut frequentes Tranſalpini epiſcopi, Gothi aliſque ex barbaris gentibus tranſvolarent Romam, unde religionem ſuam acceptam referebant, quales quando in patriam redibant, multò majorem gratiam inveniebant apud populum. Adeò ut niſi pallium archiepiſcopus è manibus pontificis recepiſſet, vix eſſet alicujus nominis apud ſuos. Unde poſtea decretum fuit, ut nullus archiepiſcopus munere ſuo fungeretur, niſi Romæ palliatus eſſet, pallio non ſine magnâ pecuniæ vi obtinendo. Si velis confecturam pallii cognoſcere, Vid. *Sleidan.* Comment. lib. 13. p. 211. Breviter res ſic ſe habet, In templo *Agnetis* Romæ, ſupra altare ponuntur duo agni candidi, qui poſtea in paſcuâ mittuntur, & ſuo tempore tonduntur; ex quorum lanâ, cum aliâ lanâ immixtâ, parantur hæc pallia, quæ ab humeris pendent in pectus atque renes. Ad hunc modum contexta deferuntur ad corpora divi *Petri* & *Pauli* ubi relinquntur per noctem unam. Tum in honeſto aliquo loco ſervantur, donec hanc non adeo operoſam, neque ſanè pretioſam mercem, archiepiſcopus vel epiſcopus magno pretio redemerit à pontifice. Quod quam diſplicuerit Africanis epiſcopis, & qui publicè caverint, ne ullus Romam

peteret

peteret causâ religionis, Vid. Histor. African. celeber. *Leidkeri.*

Missis jam sub jugum episcopis, etiam auctoritas conciliorum usurpanda venit, utpote quæ é diametro opponitur potestati pontificis. Si enim inferiora pontifice sint œcumenica concilia, uti affirmant ferè Hispani & Itali, & Papa sit infallibilis, cui tandem bonæ rei concilia? si vero pontifice superiora sint, ut constanter affirmat ecclesia Gallicana, actum est de infallibilitate pontificis. Satis id vidit Papa; ideóque nisi maximâ flagitante necessitate, nunquam convocabit concilia; quia semper inter patres inveniuntur benè multi, qui non benè sentiunt de infallibilitate pontificis, & sæpiùs ulteriùs penetrant ad detegendas ejus impias fraudes. Res fermè se habet, uti olim inter Parliamenta & quosdam reges Angliæ, qui nunquam ea convocâssent si salva absque eis res fieri potuisset. Ut scil. cum tempore desuescerent tales conventus: quod jam obtinet in Galliâ, ut nulli sint in vivis qui viderunt comitia Gallicana. Ità nec speranda sunt posthac concilia in ecclesiâ Romanâ, post Conciliabulum Tridentinum, cujus edicta iratorum hominum potiùs quàm constantis senâtus fuisse videntur. Vide Hist. Concil. Trident.

Pontifices hactenus aliquo modo morem gerebant imperatoribus orientalibus, quoniam non dabatur opportuna occasio excu-

tiendi jugum. Cum verò maximè impugnaretur ab iis cultus imaginum, his imperatoribus inſenſiſſimos hoſtes excitavit Papa: intereunte interea quoque exarchatu Ravennæ, qui ſpeciem imperii adhuc præ ſe ferebat; non reſiſtentibus orientis imperatoribus, propter debilitatas vires, & res admodum exulceratas, per diſſidia domeſtica. Cumque unum reſtaret quod moleſtè ferebat pontif. Rom. ſc. Longobardorum nidificatio per Italiam: ut funditùs extirparetur, adverſos illos excitabat *Pepinum* regem Galliæ, qui dominum ſuum *Childericum* throno detruſerat, & ejus loco ſe regem conſtituerat. Is contendit in Italiam; fuſis fugatiſque barbaris. Poſt hunc *Carolus magnus* inſignibus maximi honoris ornabat pontificem; quod profectò pro conditione temporis cautè factum fuit. Nullus enim princeps bene audiebat inter ſacerdotes, niſi largiore manu illos muneribus oneràſſet; uſque eò, ut principes cæteroquin optimi, quià ventres monachorum tetigerant, iniquiſſimis calumniis & ſummâ infamiâ notarentur. Quam ut effugerent, eò inſaniæ perventum eſt, ut quando decumberent morituri, clericos ferè hæredes conſtituerent; quin & aliquando ducatus & integra regna, pontifici donarent principes.

Cæterum (neque enim quæ ad rem noſtram multum faciunt habent intermedia tempora) *Gregorius* VII. qui invaſit ſedem Roma-

Romanam cum contemptu imperatoris primus fuit. Anteà nominabatur *Hildebrandus*, homo impensè sceleſtus, perjurus, crudelis, quique non ſine multis fraudibus conſequutus fuit papatum. Subjectionem paſſim imperabat regibus & imperatori *Henrico* IV. ſub anathematis pænâ. Multos hic inimicos excitavit imperio, Saxonibus juſſu pontificis turpiter deficientibus, & tandem *Rodolpho* Suaviæ duce pontificis inſtinctu, creato imperatore, loco *Henrici* excommunicati: addito verſiculo,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Sed *Henricus*, princeps in hiſtoriâ laudatiſſimus, omnes injurias, contumelias & anathematum fulmina magno animo tulit; denique *Rodolpho* ſuperato ſuperbiſſimum pontificem, in arce *Adriani* obſeſſum, & inde profugum poteſtate exutum, Salerni mori coegit.

Poſtquam violentiâ & aperto marte infeliciter rem geſſiſſet *Hildebrandus*, nihilominus tamen ſucceſſores ejus à ſuo tramite minimè deflectebant, ſed expeditiorem methodum excogitandam duxerunt, qualis rationem habeat religionis. Ideóque ſermone multo vehementer fuerunt hortati omnes reges atque principes, ut bellum indicerent Saracenis, & terram ſanctam, ſic illis dictam, manibus hoſtium eriperent. Et neſcio quo cæco impetu ducti potentiſ-

ſimi reges atque principes Europæ, poſthabitâ ſuarum terrarum curâ, honorem ſummum duxerunt ſub inſignibus crucis militare. Callidus verò Papa, ut animoſius hoc iter ſuſciperent, promiſit unicuique militum munito ſigno crucis, ſive domum reverteretur, ſive in bello decumberet, plenariam remiſſionem peccatorum. Interim ex nundinatione iſtarum crucium, incredibilem pecuniæ vim corraſit ſibi Pontifex Romanus. Imperatores & reges in iſto bello, poſtquam exercitum ad lanienam plerumque duxiſſent, unus poſt alium revertebatur in patriam, opibus exhauſtam per inſtigationem Papæ motibus & diſſidii pleniſſimam, ut jam nil poſſent tentare contra Papam.

Dum talia moliuntur papæ Romani, duo erant impedimenta maxima, quæ hactenus admodum eos vexabant, jus divinum, ſc. SS. Scriptura, & jus civile; quibus remotis pro arbitrio licebat imperare S. Scripturæ oppoſita fuit theologia ſcholaſtica, à *Thoma Aquinate* ac *Petro Lombardo* deducenda. Hos ſecuti ſcholaſtici, à maſculo philoſophandi genere alieniſſimi, meras nugas venditantes, atque ad circumveniendos ſeipſos cuminiſectores ſubtiliſſimi. Juri civili atque edictis *Cæſarum* oppoſitum fuit Jus Canonicum, quod ferè redit ad conciliorum ſtatuta, & decreta pontificum. Vide *Lancelot* de Jure Canonico, p. 16. ubi affirmat, jus civile nullius eſſe firmitatis, niſi

ab

ab ecclesiâ fuerint comprobatum. Et his duabus machinis Christum atque Cæsarem quam potuit maximè labefactavit Pontifex Romanus. Unde unâ voce clamârunt tum boni, qui his temporibus erant varii, Romam esse Babylonem, & Papam Bestiam Apocalypticam.

Hactenus vidimus (missis tamen plurimis, huc quidem spectantibus, sed non hâc paginâ capiendis) quo modo episcopi Romani suæ dignitati inservierint, & à minimis initiis ad tam immensa fastigia conscenderint. Nunc videamus, quomodo per ignaviam atque prodigalitatem aliquorum pontificum, admodum decreverit splendor & dignitas hierarchiæ Romanæ. Ubi se primo loco offerunt dissidia gravissima, quibus aliquando duo, etiam tres creati simul pontifices, se invicem diris atque anathematibus devoventes, dum miraculis & visionibus quisque electionem suam confirmabat. Accessit Avignionem translata sedes, ubi tamen *Petrus* nunquam commemorabatur; hic fuit sedes pontificis per 70 annos, quos Itali quidam vocant annos captivitatis Babylonicæ. Hoc facto pessimè consultum fuit Papæ, qui istic in potestate regis Galliæ fuit, qui nunquam totus favebat papatui, ut ferè apud Italos & Hispannos Galli habiti hâc parte semihæretici. Cæterùm tritum illud, *Cantante Gallo Petrus flet*, non immeritò usurpatum; nisi enim habuisset sæpiùs Gallus alibi quod

ageret, dudum forsan ejus jam factus fuisset eleemosynarius.

Sub idem tempus in celeberrimâ academiâ Oxoniensi *Wickliffius* extinctis cæteris luminibus, lucem tulit occidentali ecclesiæ. Vir fuit summæ facultatis, & si quis alius doctissimus. Papam esse hæresiarcham & antichristum publicè affirmabat, & ad oculos fraudes atque idololatriam ecclesiæ Romanæ in lectionibus publicis demonstrabat. Illum admodum venerabatur maxima pars nobilium, ipseque rex *Edvardus* illum in delicium habuit; sed, propter invidiam & odia monachorum, regnante *Richardo*, relegatus fuit in Bohemiam, ubi colloquia habuit & convictum cum Waldensibus, qui frequentes tunc erant in Bohemiâ. Sed tandem revocatus in Angliam, ubi diem suum obiit extremum. Porrò ad annum 1453, capta à Turcis Constantinopoli, doctores Græci dispergebantur quaquaversum, etiam Romam usque pervenerunt; multique in Galliâ & Germaniâ sedes figebant. Hi quippe linguæ Græcæ peritissimi, multum damni adferebant Papatui.

Jam reverso *Wickliffio* in Angliam, in academiâ Pragensi, quæ istis temporibus erat nobilissima, florebat *Johannes Hussus*, professione theologus. Ille *Wickliffi* doctrinam uti piam & salutarem pro concionibus celebrabat, & longè latèque propagabat. Status ecclesiæ tùm temporis erat valdè

valdè turbulentus; ideòque indictum fuerat Concilium Constantiæ, ad quod *Hussus* citatus, cui publicâ fide cavebatur. Itaquè, comitantibus nonnullis nobilibus, Constanstantiam venit *Hussus*: sed mox captivus detinetur, contra omne jus divinum, naturæ, gentium, & juratam fidem, publicis flammis combustus fuit, cineribus in profluentem Rhenum dissipatis, ne quæ superessent ejus reliquiæ. Paulò post simili supplicio finiit vitam auditor atque discipulus *Hussi Hyeronymus* Pragensis. Undè continui motus per Bohemiam, propter dogmata istorum heroum, plurimis probata. Hâc quoque ætate ars typographica Papatui multùm nocuit, pulsura tenebras, quibus sese involvit, meliorem lucem non ferens papatus.

Indè per tres papas continuos, ecclesiæ Romanæ splendore & dominatione magis atque magis decessit. *Alexander* VI. ambibat dominium Italiæ, suo filio spurio *Cæsari Borgiæ*, hoc scopo convocatis nobilibus & cardinalibus benè multis, veneno è medio tollendis: sed per errorem famuli, pater & filius ex veneno hauserunt, quod convivis paratum erat.

—— *Neque est Lex justior ulla,*
Quam necis artifices arte perire suâ.

Pater statim ex veneno, utpote jam ætate gravis, moritur; filio tardiùs convalescente.

Post

Poſt hunc homo bellicoſus *Julius* II. invaſit papatum: qui vehementiâ ſuâ multum damni attulit, contendens plurimùm ſuis fulminibus cum *Ludovico* XII. rege Galliæ, quin & armis quoque, gladium *Pauli* clavibus *Petri* præferens, ideóque claves regni cœlorum in profluentem *Tiberim* abjecturus.

Leo decimus bonarum artium fuit amantiſſimus, ſed homo planè minimæ religionis, muneribus amplis & largitionibus in homines doctos collatis, aliáque multa prodigalitate ærarium ſuum exhauſit, ut ad inopiam ferè fuerat redactus. Nova igitur methodus conſcribendi pecuniam cum excogitanda veniret, nullum expeditiorem exiſtimavit, quam indulgentiarum nundinationes. Quapropter miſſi quæſtores in Germaniam, qui abuſi Germanorum pietate, in ludibrium divinæ gratiæ, & opprobium religionis, incredibilem pecuniæ vim colligerunt. Hi omnium peccatorum remiſſionem promittebant interventu pecuniæ: ovis, lacte, caſeo, carne veſcendi facultatem diebus jejunii, pretio vendebant: & quod longè peſſimum, libellis editis, hæc ſua deliramenta confirmabant & defendebant. *Martinus Lutherus*, per iſta tempora theologus Auguſtinianus & Wittenburgæ profeſſor, quæſtorum concionibus & libellis exercitatus, cum videret à vulgo credi, quod illi tam ſuperbè jactabant, cœpit monere homines, ut nè nimio pretio adulte-

adulterinas istas merces compararent. Quin & scripsit antitheses aliquot contra libellos & theses *Tecelii* hominis in vendendis pontificis indulgentiis fervidi. *Tecelius* confugit ad infallibilitatem, papæ & conciliorum decreta. *Lutherus*, dum disertissimus scripturæ locis admodum stringebat adversarium, hâc occasione datâ potestatem pontificiis in dubium vocare cœpit, de quo initio minimè cogitabat. Sed propter adversarii impudentiam unum ex alio sequebatur, usque ad articulum momenti maximi de justificatione peccatoris coram DEO, quem non temerè appellant theologi stantis vel cadentis ecclesiæ dogma.

Controversia denique delata fuit ad pontificem, coram quo *Lutherus* hæreseos incusatus. Quâ de re cum hic certior factus esset, datis ad *Leonem* literis, exponit, quam temerè quæstores illi agant, freti ipsius, vel potius abusi, auctoritate; orat, ne illorum criminationibus fidem habeat; concionibus quæstorum & libellis nimium ineptis, se coactum edidisse quædam disputandi solum gratiâ, profitetur; cæterùm, omnia sua scripta, vitam quoque & salutem, ipsius arbitrio se submissurum pollicetur. En pulcherrimam profectò occasionem ad suffocandam reformationem, dum in herbâ erat, ut nè longius serpat! si nempe Papa bona verba dedisset *Luthero*, aut saltem, si comiter illum tractâsset, & istorum nundinatorum imprudentiam nonnihil inhibuisset,

quod unum volebat *Lutherus*. Sed imprudens minas & excommunicationes in *Lutherum* jactabat. *Lutherus* autem his nequaquam motus, magno animo & infracto, contra audentior ibat, adverſarium argumentis ex ſacris literis confutabat, graviterque affirmabat, nullam doctrinam, quantumvis ſpecioſam, præter illam quæ à prophetis & apoſtolis nobis eſt relicta recipiendam eſſe. Hæc inſolita diſputandi ratio, quâ *Lutherus* utebatur, nova fuit monachis, ſua argumenta ex Jure Canonico petere ferè conſuetis. Inde argumentis *Lutheri* conſternati & confuſi, quo ſe verterent, quodve primum, quod deinceps agerent, vix habebant. Quoties in arenam deſcendebat *Lutherus*, palàm teſtabatur, nil ſe moveri Papæ excommunicationibus atque verbis ad oſtentationem compoſitis, etiamſi capitis pœna ſubeunda foret; vivere tamen & immortalem eſſe Chriſtum, cui tribuenda gloria. Ut jam leo tenuerit lupum auribus!

Imperium interea temporis ardebat bellis, quæ gerebantur inter *Carolum Cæſarem*, & *Franciſcum* regem Galliæ, hoſtes potentiſſimos, & olim competitores coronæ imperialis. Sed & in Britanniâ diffidia graviſſima orta ſunt inter Papam & *Henricum* VIII. propter *Catharinam Ferdinandi* catholici filiam repudiatam, & ejus loco in matrimonium ductum *Annam Boleniam*. Rex fulminibus Papæ contemptim habitis, reditus

reditus ecclesiæ sibi sumpsit, & bonam partem inter nobiles distribuit; politicè satis, ut necesse haberent regem contra pontificem defendere. Cæteroquin *Henricus* satis erat pontificius, ut patet ex scriptis editis contra *Lutherum*: quibus hic respondebat non sine scommate & multo sale, nullâ ratione habitâ coronati capitis. Sub idem tempus, vel, ut aliqui, paulo ante *Lutherum Zwinglius* publicè concionabatur in Helvetiâ contra indulgentias, & evangelicam veritatem annuente magistratu masculè defendebat. Multum autem conferebat ad reformationem promovendam, ipsa doctrinæ indoles ac natura, quæ & maximè favebat auctoritati magistratus stabiliendæ, & optimè accommodata conditioni plebis, quæ anteà ingentem pecuniæ vim pro remissione peccatorum pendebat. Per *Lutherum* verò non opus erat aut Romam petere, aut nummos expendere pro remissione peccatorum; quam habemus domi plenam, sine ullo pretio, modo supplices veniamus ad thronum gratiæ per mediatorem.

Florebat tunc temporis *Johannes Reuchlinus*, linguarum orientalium peritissimus, & absque quo actum ferè fuisset de Judæorum scriptis, quæ nitebantur pontificii flammis comburere, quin si quis intelligeret hebraicè, parùm aberat, quin incusaretur hæreseos. Ille interim *Reuchlinus*, alias *Capnio*, facem præferebat reformato-

ribus. Vide *Colloq. Erasm. de Apotheosi Capnionis. Erasmus* quoque facetiis suis ad ludibrium monachornm compositis, vehementer eis nocebat. Mirum etiam in modum extollebat idem in initio opera *Lutheri*, in epistolâ ad *Fredericum*, ut videre est apud *Sleidanum:* etsi paulo post causam Semipelagianorum sustinebat contra *Lutherum*; à quo tam falsam & acrem responsionem retulit *Erasmus*, ut nunquam quicquam regereret. Domus Navarræ etiam optimè merita est de reformatione; præcipuè *Johanna* Navarræ regina, mater *Henrici* IV. pòst regis Galliæ. Inter pontificios quoque non deerant viri boni, qui sordidissimam monachorum, juxta atque omnium clericorum vitam, paulò acriùs á *Luthero* perstringi non malè ferebant. Ità videre licet inclinationes istorum temporum, & varios affectus hominum, omnesque motus ità ad divinam voluntatem accommodatas, ut quæ ab æterno DEUS decreverat, suo tempore perficerentur.

Hactenus feliciter præter spem & expectationem hominum triumphabat doctrina purior: quare autem non latius se extenderet, hujus loci est inquirere. *Lutherus* vir quantumlibet bonus, tamen habuit suos nævos. Opinionis adeo tenax, ut si vel latum unguem ab illo quis recederet, actum esset de amicitiâ. *Melanchton* quidem compescuit iras *Lutheri* quantum potuit, tamen natura viri usque recurrebat. Hinc diffidia

dia maxima atque tempestates horribiles, quas *Lutherus* movebat *Carolstadio*; qui imagines ex cordibus hominum removendas esse contendens, priusquam ex templis. Posthac inter *Zwinglium* & *Lutherum* contentio maxima quoque de cœnâ *Zwinglium* defendendum suscepit *Calvinus*: quæ lis, necdum sopita, admodum reformationem in suâ primâ origine impedivit. Etiam indies expullulabat magna hæreticorum seges; unde pessimè audiebat reformatio. Notabiles erant Anabaptistarum quorundam furores. Antistes eorum *Johannes Bucoleus* Leidensis, post multos motus & violentiam illatam civibus, rex monasterii factus fuit. Reginam suam suâ manu interficiebat, quià favebat reformatis: ipse cum sociis paulo post pœnas daturus blasphemiarum. Ortum quoque per Germaniam bellum rusticum, ab illis motum, qui magistratum prorsus respuebant, affirmantes se per evangelium factos esse liberos; unde omnia hinc orta infortunia, tribuebantur reformationi, ità ut multi principes fœdus inirent, ad defendendum pontificem; quià malebant uni superbo pontifici servire, quàm millenis rusticis furibundis; dum *Muncerus*, homo planè phanaticus, multa millia hominum ad lanienam duxit, invectus in magistratum ut in tyrannos & canes; suisque promittens, quando ad arma ventum esset, globos tormentarios hostiles, se veste suâ recepturum.

Ex

Ex iis quæ hactenus commemoravimus ſatis conſtare poteſt, quæ eccleſiaſticæ dominationis in papatu primordia, quæ incrementa fuerint: exulceratum ſimul & pænè morientem papatus ſtatum, triumphante *Luthero*, vidimus. Operæ prætium fore duximus, etiam interiorem ejus compagem hodiernam, & quibus contineatur vinculis, quibuſque fulcris ſuſtentetur, paucis contemplari. Statim, poſt vulnus per reformationem acceptum pontificiæ cauſæ *Carol.* V. Germaniæ imperator, & poſt hunc *Philip.* II. Hiſpan. rex, acerrimos defenſores ſeſe præbuerunt, & in eum ſtatum non ſemel rem adduxerunt, ut valdè ſibi ſuiſque metuerent Proteſtantes. Nec deſiderabantur viri doctiſſimi, qui tanto ſtudio tuebantur papatum, ut neque ſubtilitate majore quiſquam, neque contentione defendere potuerit. Quos inter memorandi ſunt, præter cæteros, *Bellarminus* in controverſiis verſatiſſimus, uti *Baronius* in hiſtoriis eccleſiaſticis. Attamen quanti quanti fuerint, & quamtumvis pugnaces, adverſariis telis oppreſſos tamen vidimus. Cæterùm, quum imprimis neglecta bonarum artium ſtudia ingentem rei pontificiæ cladem *Lutheri* tempore intulerint, jeſuitæ poſtmodum (uti cohors prætoriana pontificis) ſuſceptâ rei ſcholaſticæ procuratione, & tranſlato ad ſe quaſi bonarum artium monopolio, eas ad rationes regni tenebrarum accommodârunt, & teneras adoleſcentum mentes ſuis docu-

documentis politicis imbuerunt usque adeò, ut ab illis rationibus nullis, quamvis firmissimis, depelli se sinant. Scilicet propter maximam præceptorum curam & severissimam disciplinam evaserunt clarissimi; elegantissimi quoque sermonibus atque gestibus corporis, monachorum rusticitate, & sordidissimis sophistarum moribus rejectis, in consuetudine atque omni vitâ incredibilem quandam urbanitatem & mores politissimos præ se tulerunt. Inde occasione auricularis confessionis in aulas plerorumque principum irrepserunt, ut jam multis in locis ex ipsorum nutu omnia administrentur; ubi pontificis dignitati inservire magnoperè laborant, conscii ipsi secretorum, quæ à principibus his suis confessionariis creduntur.

Sacras Scripturas ex hominum manibus jamdudum extortas fuisse, bene notum est; quod etiamnum diligenter observant, ne quid noxium & perniciosum ecclesiæ in oculos hominum incurreret. Sed &, quod caput rei est, tribunal iniquissimum erexit pontifex, coram quo citandi sunt gravissimi etiam veteris ecclesiæ patres, ad censuram subeundam, si quid loquantur quod ex usu pontificis minus sit, indice expurgatorio in hunc finem consignato. Adversariorum verò scripta importari prohibentur in Italiam, dum ad fauces Alpium habet Papa speculatores, qui cognoscant, ne

viatores

viatores deferant ſecum hæreticorum libros. Nullus porrò ſcriptor cujuſcunque ordinis aut dignitatis ſit, cui fas eſt edere quemcunque libellum, ſine conſenſu virorum de hoc negotio cognoſcentium. Quo fit, ut adverſariorum Papæ æquitas & virtus, plebi lateat ignota, dum vitia adverſariorum etiam confiсta, in volumina congeſta & continuò propoſita in concionibus, tanquam hominum ſine fide, ſine lege, ſine judicio viventium. Unde narratur, Italum, cum audiſſet hæreticum eſſe in urbe, ſpectatum veniſſe, & cum, quod expectaverat, nil monſtri vidiſſet, admirabundum exclamâſſe: hæreticus equidem eſt homo haud diſſimilis nobis.

Superioribus temporibus maximos terrores mortalium animis incutiebat anathema excommunicationis: ſed hodiè, quoſdam tenuiſſimæ potentiæ principes ſi excipias, hoc obtuſum & hebetatum telum vix quiſquam pertimeſcit. Erectum ergo eſt officium ſanctæ inquiſitionis, tribunal longè crudeliſſimum, à *Ferdinando* catholico inſtitutum contra Judæos, qui poſt baptiſmum ſuos ritus atque leges retinerent. Quando vero nomen *Lutheri* erat vulgatum, in omnes promiſcuè exercetur, & aſperè quidem atque ſubitò, quum interim rei, & culpam & incuſatores ignorent. Quomodo in iſto carcere inhumaniter tractentur homines, Vide in *Hiſtor. Inquiſ. de Goa.* Hujus quidem inquiſitionis beneficio infinita evitari incom-

incommoda Hispani jactitant, quæ cæteris rebus-publicis cultus divini diversitas, attulit; at verò religionis quidem simulatio imperari eo pacto, & os obturari hominibus potest, pietatem certè animis mortalium eâ ratione nequicquam inserueris.

Ex dictis divinare licet, an ullus locus reliquus sit emendationis sperandæ in papatu. Omnes cæterùm cùltores pontificiæ religionis non temerè in tres partes dividemus. Et primò facilè credamus magnam eorum partem omninò persuasum habere, vera esse, quæcunque ipsis à suis doctoribus traduntur; & hi facilè in officio continentur prohibitâ lectione S. Scripturæ, de quâ antè. Pars altera est pontificiorum, qui totius rei structuram satis perspexerunt; & illorum animis terrorem maximè incutit inquisitio & jactura fortunæ, si contradixerint. Tertia pars est atheorum turba, qui detectâ clericorum fraude, divina quoque jussa commenta anilia existimant. Quod facilè accidit hominibus, qui nec sacras literas nec ullum melioris notæ librum protestantium legerunt: tales, quando sine simulatione & pallio religionis res teneri non potest, quid mirum, si sequantur religionem indoli accommodatam; adorentque DEUM in pane, quem in cœlis esse non credunt.

Quæ hactenus de papatu disputavimus, etsi multò longiore & accuratiore trutinâ

 sunt

ſunt digniſſima, paucioribus tamen attingere, multa quoque intacta planè prætere rire, juſſerunt chartæ anguſtiæ & præfixi diſputationi academici termini. Coronidis loco lubet tribus verbis diſcurrere: ecqua ſpes componendæ pontifices inter & proteſtantes controverſiæ, ſit reliqua, ut demum poſt tam horrida bella in mutuam gratiam redeant, pacemque inter ſe colant? Non defuerunt omni tempore ab utrâque parte, qui rationem & conditiones pacis monſtrare conati fuerunt: Inſtituto, quod quidem primâ ſpecie laudabile videri poterat, reipſa tamen planè irrito. Certè ſyncretiſmus, ut vulgò vocant, vix alio modo, quam uno horum trium, concipi poſſe videtur: nimirùm, aut mutua tolerantia, quâ diſſentientes partes, ſalvis opinionibus cuique ſuis, alii alios fratres habeant, & quicquid litis eſt, habeant minus principale, ac tale, quo non obſtante, æterna ſalus obtineri poſſit; aut, ut pars utraque aliquid hinc inde de ſuo jure remittat, & ſic mutuo acceſſu divortium tandem tollatur; aut denique, ut pars altera in partes alterius prorſus tranſeat, poſitiſque priſtinis opinionibus cum ipſâ ſentiat. Quæcunque verò illarum viarum proponatur, omnes pariter reipſa religionem ludibrio habere videntur, & perinde æſtimare, quid aliquis de eâ ſentiat. Non enim de leviculâ re controverſatum, ſed de graviſſimis opinionibus, & quæ ſpectant divini cultus animam.

mam. Induxit enim Roma novum fidei principium, novum ſcripturæ interpretem, novum eccleſiæ caput, novos mediatores, nova ſacramenta, novum animarum receptaculum, novam eccleſiæ diſciplinam, uno verbo, tantum non omnia nova. Quod ſi verò hæc univerſa non tanti videantur momenti, quin tranſigi ſuper eis poſſe putetur, quæ ergo futura ſint capita ſuper quibus transfigere non liceat, videre lubet? Unde & omne hoc ſyncretiſtarum genus hanc gratiam iniit tandem, & ab utrâque parte, nec planè immeritò habitum fuerit hominum genus cui ſua religio aut minus intellecta, aut minus cordi foret quàm decet. Sileo politicas cauſas, infinitas eaſque graviſſimas, & humanitùs loquendo impoſſibiles, quæ non ſinunt vel ut Romanenſes multum concedant proteſtantibus, vel ut proteſtantes multum concedant Romanenſibus, de quibus dicere non jam pagina ſinit. Vi & armis ut illi ab his opprimantur, fieri poſſet, fateor, conſtigante veritatis evangelicæ neglectum DEO; verum, ut nulla violentia fidem religionis ingenerare poteſt animis hominum, ità in verum opinionem conſenſum diſſentientes adducet nunquam. Et profectò ipſe hic omnes per dracones convertendi modus, tam eſt ab omni ſpiritu evangelico remotus, ut vel ſolus ſufficiat ad alienandos in perpetuum proteſtantium animos à tam immanis tyrannidis regno.

Æterna igitur ſunto cum Româ bella! neque deſperent proteſtantes, aut animos abjiciant, ob immanem hoſtium tum crudelitatem, tum multitudines, quandoquidem norunt eſſe in fatis, ut æternos referant triumphos, duce & auſpice Chriſto, de regno, cujus tantâ aſtutiâ politicâ ſunt compacta membra, ut nullâ humanâ vi, ſed ſolo ſpiritu oris Omnipotentis DEI, ſuo tempore veniant ſolvenda.



REGI-



REGIMEN

Ecclesiæ Sanctgallensis,

E T

ABBATISCELLANÆ

I N

HELVETIA

BREVITER DELINEATUM.



T. Gallensis urbs, quæ & inter imperii civitates numeratur, non est ità magnæ antiquitatis, sed sua initia atque originem *Scto Gallo* acceptam refert, qui ibidem in septimo seculo domumculam & cellam primum, seu oratorium in densissimo nemore condidit, ut con-

conversioni incolarum daret operam, qui pro conditione istorum temporum christianæ veritatis ignari colebant idololatriam: St. *Gallus* verò, secundum *Caveum* in Scriptor. Ecclesiastic. Histor. Literar. erat gente Hibernus qui in ætate tenellâ, S. *Columbani* curæ â parentibus commissus, sub eo monasticam instituit vitam: unà cum eo in Britanniam & exinde in Galliam transfretavit, in cœnobio Luxoviensi vitæ & laborum comes adfuit. Anno circiter DCX. Columbanum iter in Italiam parantem, sequutus, jussu illius in Rhætiâ substitit, ut populares evangelii luce perfunderet: quod & condita sibi seorsim cellâ, strenuè effecit. Ad episcopatum Constantiensem præsulum vicinorum suffragiis designatus, *Joannem* discipulum suum præfici curavit. Circa An. DCXV. monasterium celeberrimum â nomine suo dictum in Helvetiâ fundavit. In hoc monasterio diu detentus fuit in vinculis *Pepinus* filius spurius *Caroli Magni* qui perduelli & patri suo parabat insidias.

Primi reformatores inter Sangallenses fuerunt *Benedictus Burgowerus* pastor ecclesiæ S. *Laurentii* & *Wolffgangus Wetterus*, quibus adjunxit se *Keslerus* qui 1523, in Saxoniâ operam dedit studiis. Insuper *Hermanus Miles*, *Jacob. Rhinerus*, & præter cæteros, *Joachim* van *Mat*, alias *Vadianus*, D. M. Consul Urbis, & theologus consummatissimus, qui multa scripsit elegantissima

gantissima ad defendendam reformationem contra pontificios; interfuit quoque in pluribus colloquiis publicis, e. gr. Bernæ 1528, & Tiguri 1523, & dicitur primum esse qui curavit missam St. *Galli* aboleri. Quadraginta imaginum plaustra extra portam urbis publicis flammis commiserunt, ut nullum amplius simulachri simulachrum restaret, templa quoque omnia ad cultum divinum non necessaria, æquavere solo, ut removerent omnem ansam pontificiis illos locos superstitionis causâ frequentandi: reliquiæ S. *Galli* tum temporis periere, quià nullas jam reliquias habent monachi, nisi *Bacchi* & *Sergii* corpora, quæ magni æstimant; erat in urbe magna crux auro obducta, quæ pretiosissimis reliquiis referta esse dicebatur, quæ dum aperiretur, farragine pannosâ & linteamentorum frustulis, omnique impuritate aliâ, inventa est plena; quæ tamen per aliqua sæcula colebatur à populo, erat quoque ibidem & cornu deauratum in quo dicebatur lapillum ex sacro sepulchro, magnâ religione atque curâ servari, quod cum in præsentiâ legati Glarensis esset apertum, testudineam cochleam intus invenerant; quæ fraus ità movebat nuncium Glarensem, ut ex pontificio acerrimo, factus fuerit reformationis assertor strenuus, & ad ejus exemplum tota Glarensis regio magnâ ex parte reformatis se addixit. Sub idem tempus 1526, duo fratres sectæ Anabaptistarum addicti disputabant

bant inter se de efficaciâ divinæ voluntatis & de resistentiâ liberi nostri arbitrii, & ut decideretur quæstio non verbis, sed re ipsâ, conveniebant inter se, ut unus collum suum securi submitteret, & ut alius alacriter percuteret, firmiter enim credebat contra voluntatem divinam incassum & frustrà percussurum fratrem, sed ecce temeritatis suæ dedit pœnas uterque, unus utpote amputato capite vivere desiit alius justitiæ daturus pœnas vel ad minimum dum viveret horrendo fratricidæ stigmate notandus, & conscientiæ stimulis exagitandus. Hoc contigit non procul ab urbe.

Quantum attinet ad cultum divinum St. Gallensium nusquam locorum me memini observâsse majorem alacritatem in frequentandis templis, majus silentium in audiendis sacris sermonibus, severiorem disciplinam ecclesiasticam in castigandis delictis publicis, vel paratiores oratores sacros in concipiendis sermonibus ad populum habendis, ità ut sæpius usu veniat, unum pastorem ter quater imò quinquies de die, in concione populi verba facere, alterius vicem, propter absentiam vel valetudinem minus prosperam, aliave negotia necessaria, sustinentem. Dum essem apud Sangallenlenses bis vidi delinquentes publicè in templo coram toto cœtu pænitentiam agentes, primus abstulit partem eleemosinæ publicæ pauperibus destinatæ, quapropter comprehendebatur, in carcerem trusus,

donec

donec institueretur examen, & ejus delicto cognosceret senatus, tum die Dominico constituto, à lictore ductus fuit in templum, & scamno pro delinquentibus destinato, collocatus fuit, posthæc fusis precibus & psalmorum cantu peracto, pastor textum aliquem scripturæ delinquentis errori accommodatum explicuit, urget, & ad statum peccatoris & usum fidelium omnium, dextrè & efficaciter applicuit. Secundâ vice vidi alium cum uxore propter falsum juramentum præstitum, easdem pœnas luentem, ad quem adaptavit pastor textum illum *Ananiæ* & *Sapphiræ*, quem magno cum Zelo ad præsentem casum explicuit. Aliquoties in anno ibidem mos est, ut unus ex magistratu conscendat suggestum, sermone sacro jam finito, & legat admonitionem senatus verbis gravissimis conceptam, contra luxum aliosque pravos mores maximè inter vulgus grassantes, interminationibus, ne quis falsò sibi persuadeat impunè se peccaturum: habent intra & extra urbem, sex templa, & in unoquoque, tempore æstivo diversis horis, habentur conciones, ità ut quoque die dominico, sex vel septem liceat audire sermones sacros, & unoquoque die septimanæ, ad minimum binas, præter conciones alias, funebres & extraordinarias. Fæminæ omnes nigris vestibus indutæ, cujuscunque sunt ordinis, petunt templa, ità tamen, ut viduæ, virgines, uxores facilè à se invicem, distinctis aliquibus indumentis

distinguantur. Matrimonia inter liberos sororum vel fratrum, vel sororis & fratris liberos, nunquam instituuntur, nisi patriam derelinquant; credunt enim nonnulli hujus generis copulationes per legem Moisis esse prohibitas, alii hanc prohibitionem magis ob prudentiam civilem, nec scilicet familia jamjam præpotens, tali matrimonio evadat nimis opulenta, quod cum statu democratico minimè convenire videtur. Pro parvâ urbe magnus habetur prædicatorum numerus, plus minùs scilicet viginti: quinque quorum, sunt primarii, totidem ferè diaconi & reliqui in scholis præsunt, donec gradatim mortuo uno ex pastoribus ordinariis, occasio detur, promovendi illum, qui est rector collegii, ad dignitatem concionatoris ordinarii, ità ut unius pastoris primarii decessu, omnes subordinati unà promoventur, inferiore scilicet usque in superioris sui locum ascendente, & pro ultima classe in collegio, novus constituitur præceptor ex candidatis expectantibus; & hic ordo rarò aut nunquam mutatur, inde est quod amor mutuus integer, inter ecclesiasticos conservatur, & habeant quoque inter primarios pastores viros semper consummatissimos utpote aliquando per 15. vel viginti annos expectantes, & per omnes inferiores gradus transeuntes, antequam ecclesiæ præesse possint; longè autem secus se res habet in aliis locis, imò & in Helvetiâ, ubi juvenes per saltum ad summa fastigia subito, doctis

doctis senibus & venerandis posthabitis, gratiâ superiorum noscunt ascendere; sed nimis vereor ne tales ambitus etiamsi non interveniat pecunia, *Simonem* illum *Magum* aliqualiter sapiat. Nulli pastori permittitur induere capillitia, nisi adferat causam omni exceptione majorem, quod nunquam vel rarò accidit; insuper quinque pastores primarii omnes prolixas nutriunt barbas, quamprimum ad hunc gradum ascenderint, qui mos etiam apud illos valet, qui sunt in tribu textorum, vel si quis forsan barbam raserit, mulctandus est pecuniâ, quæ consuetudo tantummodo inter textores vim legis habet.

St. Gallenses habent hoc sibi peculiare, ut non habeant istum antiquissimum ritum in ecclesiâ valentem, impositionem scilicet manuum in ordinandis pastoribus; aliquando etiam & in ecclesiâ Basileensi sed raro & singulari planè casu, scilicet quando aliquis diaconus, (nemo enim ibi, antequam sit ecclesiæ pastor, recipit impositionem manuum) eligitur in antistitem, tum quia nullum habeat sibi superiorem, vel æqualem, nullus creditur idoneus ex presbyteris imponere manus suo antistiti vel episcopo. Habent & hoc *St. Gallenses* quod in sacrâ cænâ adhibeant panem azimum, quod tamen Tigurini, Glarenses, Abbatiscellanenses & Toggenburgenses quoque faciunt, non ex aliquâ superstitione vel spiritu singulari ab aliis ecclesiis reformatis dissentiendi,

endi, sed quod verentur ne plebs scandalizetur per subitam antiquæ ceremoniæ mutationem, & nequando pontificii novam ansam habeant cavillandi; cæterum viri docti ubique confitentur, se ex animo desiderare ut adhiberi liceret panis communis, cùm satis vident ex historiâ ecclesiasticâ, novam esse inventionem primo ab *Ebione* Hæretico excogitatam, qui simul aquam loco vini in sacram synaxin introduxit, & in oriente primò opinionem suam propagavit, quam posteà *Alexander Primus*, Pontifex Romanus teste *Platinâ*, ob has infirmissimas rationes amplexus est, scilicet quod azymus esset fermentato melior atque purior, atque ut ne offenderet *Ebioni* & suis discipulis: in antiquâ ecclesiâ non obtinuisse azymum *Suarez*, *Aquinas*, aliique scriptores Romani fatentur. Et quod hoc extra omne dubium ponit, est constans & hodiernus usus ecclesiæ Græcæ, qui nunquam non accusant Romanos innovandi pruritu propter hanc opinionem, ut videre est ex libro *Gabrielis Seberi* Philadelphiæ episcopi, qui scripsit in linguâ Græcâ modernâ contra præcipuos errores ecclesiæ Romanæ librum certè eruditissimum, ubi ostendit azymum apud Judæos commemorâsse tantùm servitutem in Ægyptum, sed cum christiani sub gratiâ sint, & non sub lege panem utpote solidiorem, esse multo

con-

convenientiorem *; hi azymi qui apud Tigurinos in usu sunt, quadranguli oblongi habent figuram, libellum in octavo ferè referentes, qui commodè dividi potest inter sex vel septem communicantes, quod semel apud Tigurinos vidi, qui & hoc habent singulare, quod in poculis ligneis ministrent vinum sacratum communicantibus in eucharistiâ: res ità se habet, concione finitâ, pastor primarius cum diacono & alio pastore adjuncto, legunt formulas precum & liturgiæ, ad istam sacram solennitatem destinatas, tripartitâ lectione, modo aliquo responsorio, incipit scilicet primarius pastor, assumit alius, sequitur diaconus, reassumit de novo primarius, & sic porrò usque ad finem; in altare vel mensam communionis intereà ponuntur triginta, ni fallor, pocula lignea, mediocris magnitudinis, semimensuram præter propter capientia, quæ implentur vino à junioribus theologis vel candidatis, quorum triginta ferè, cum magnâ veneratione ad sacram mensam vel altare adstant, ut quisque capiat poculum, quod primo in quoque scamno porrigit, quod & hic suo vicino tradit, & sic porrò, ità ut brevi tempore, hoc modo aliquot millia hominum communicare possint; alii azymos in parvis canistris per templum eodem modo distribuunt, sed hoc ausim de Tigurinis affirmare, quod etiamsi non ha-

* **Vide meam Versionem Differt. Græc. de Eucharist. Lond. editam.**

beant

beant nisi lignea pocula, aureos certè habent sacros oratores. Sed ut ad meos *St. Gallenses* redeam, nulli prædicatori ex aliâ provinciâ integrum est apud illos verba facere ad populum, tum quia habent copiam sufficientem concionatorum ordinariorum in scholis & in ecclesiâ, quod antè monui, nec non plures expectantes, qui nullo adhuc gaudent munere, & libenter offerunt se occasione datâ ad inserviendum ecclesiæ, tum quod vereantur ne forsan peregrini secum adferant peregrina. Denique observârunt nonnullos candidatos theologiæ eloquentiâ & doctrinâ pollentes, opulentissimis totius civitatis virginibus contraxisse matrimonia, & secum in patriam adduxisse, quod illi non æquo animo patiuntur.

Studiosi theologiæ in peregrinis locis, dant operam literis, Basileæ, Genevæ sæpiùs, ad linguam Gallicam addiscendam, aliquando etiam Marpurgi vel in academiis Batavicis; finito studiorum & preregrinationis curriculo, domum redeunt testimoniis instructi à theologis illius academiæ, in quâ per aliquod tempus vixerunt, diligentiam in studiis theologicis progressum & institutum vitæ honestissimum satis indicantibus; hæc testimonia à primariis pastoribus, à decano cum primis examinantur, tum examen instituitur, in præsentiâ pastorum atque magistratûs; qui si inveniantur linguarum Latinæ, Græcæ putà & Hebraicæ, philosophiæ & theologiæ bene periti,

præ-

præscribunt illi textum Sacræ Scripturæ, die certo publicè explicandum in templo coram populo, hæc omnia si feliciter processerint, in sequenti synodo recipiuntur in numerum candidatorum. Qui aut expectant posteà aliquod in urbe munus, vel in terris peregrinis ambiunt officia ecclesiastica, donec illos revocaverint sui cives. An. 1710, duodecim theologos numerabant extra patriam viventes, & totidem ferè domi expectantes, vel in visitandis aliis regionibus occupati.

Consistorium ecclesiasticum octo judicibus constat; quorum quatuor sunt ministri ecclesiæ, aut aliqui viri literati, duo præterea à minori, & totidem ex majore senatu: his omnibus nonus præsidet, è minori senatu aliquis; hic sententias rogat, & si paria fuerint suffragia, alteri parti accedit, & ejus sententiam ratam facit. Fert autem consistorium sententiam de controversiis matrimonialibus & de divortiis, neque ab eâ provocare licet. Verùm si difficiles controversiæ incidant, & ubi politicæ causæ cum matrimonialibus conjunguntur, tùm vel causam ad senatum remittunt, vel rem differunt, atque intereà senatum & viros doctos de eâ consulunt. Fornicatores, cujuscunque sint ordinis vel conditionis, sine respectu personarum in carcerem traduntur, ille atque illa, ubi per quatuordecim ad minimum dies detinentur, posteà vir, si cælebs sit vel viduus, in uxorem illam neces-

necessariò sumat, vel careat patria, vel magnâ vi pecuniæ castigandus. Insuper adulterium punitur degradatione ab officio, vel si tertiâ vice quis peccaverit, decretum est ut morte puniatur.

De xenodochiis aliisque locis publicis non est hujus instituti quid disserere; sed quando agitur de eleemosinâ pauperibus erogandâ cives *St. Gallenses* sunt promptissimi, ità ut paucis hinc annis centum mille tallerorum ad adjuvandos Gallos fratres propter religionem profugos, alacriter impenderint. Bis quoque in anno, solenni modo omnibus egenis ex peregrinis locis ibi ad constitutum diem confluentibus, panes distribuunt, ità ut propter magnum expectantium numerum multa millia integrorum panum minimè sufficiant, quorum loco tamen pecuniam illi suppeditant.

In hâc urbe habentur duæ bibliothecæ instructissimæ, una in monasterio abbatis est, ubi septingenta ostenduntur antiquissima manuscripta, quæ tamen nolunt æquo animo ut consulant protestantes, ne quid inde contra pontificiam religionem vel contra ecclesiasticorum usurpationes in rebus politicis extrahant: questus est de hâc re ad me vir Lindaviensis doctissimus, qui ad nonnulla manuscripta consulenda, ad tuenda jura urbis adversus prætentiones abbatissæ vel principissæ quæ inhabitat monasterium quod est Lindaviæ, (prætendit enim dominium supremum in totam ur-

bem) *St. Gallum* expressè petiit, sed re infectâ domum rediit. Jam Domini Tigurini Bernenses, ea gaudent, qui peregrinis bibliothecas suas semper patefaciunt. Pastor Swollensis, D. Sl. vir planè optimus retulit mihi historiam satis lepidam, semel dum simul cum amico visitaret bibliothecam abbatis, bibliothecarius ut illos, utpote protestantes, aliquantum ureret, ostendit illis collectionem variarum figurarum & ad aperturam, indicavit effigiem *Lutheri* à diabolis in frusta distracti, amicus autem fortè fortuna alium folium vertens, ecce! apparuit effigies *Joannæ Papistæ* Patris Patriæ, parientis parvum puerum prope Portam *Petri:* tum pudore suffusus monachus, clausit librum, & ad alias raritates illos circumduxit.

Alterâ bibliothecâ, vulgo Vadianâ, à fundatore ità vocatâ, in Epist. Manuscript. ad Vadian. fol. 11. p. 229. hæc quæ sequuntur inveni, " Rex Angliæ fassus est, " eum libellum qui suo nomine contra " *Lutherum* circumferebatur, non suum " esse, quamquam passus est, ipsum suo " nomine inscribi persuadentibus matæo- " logis. Vale ex tenebris nostris plus quam " Egyptiacis."

Tuus, *Michael Hummelburgius.*

A. D. MDXXV.

Hæc bibliotheca instructissima est libris præcipuè novis, solenne enim est omnibus civibus lautioris fortunæ, magni pretii & raros libros bibliothecæ donare. Et præcipuè mercatores cùm prosperè & supra vel præter expectationem negotia succedant, liberales hâc in parte inveniuntur; qui quidem & hoc gaudent privilegio, ut quoscunque, & quotquot libros voluerint domum transferre, & donec totos perlegant retinere, illis sit licitum. Hæc urbs semper alit viros, in omni literarum genere illustrissimos, & hic non erit abs re meâ allegare verba ingeniosissimi *Gio. Anton. Pazzaglia*, in suâ descriptione urbis *St. Gallensis. Mentre si danno sempre in questo molte persone letteratissime, ed assai dotte in diverse fuculta, e Scienze, che si fanno piacere di passar il tempo, che loro resta dalle proprie occupationi, nel virtuoso essercitio della lettura; il che mi fa ricordar del proverbio Genovese che dice, veni le scienze dalle montagne; & in effetti quelle di questo paese hanno prodotto, e producono sempre degl' huomini insigni, illustri, e sapientissimi, e per prova di questo le faro sovenire ch' il gran Theofrasto Paracelso, & il celebre Goldasto naquero in questi contorni, e menorro quasi la maggior parte della Lor vita in* St. Gallo: *Ha questo dato la Nascita al Vadiano al Wetter, al Kester, al Varenbuler, a David Sciobinger, e Sebastiano di detto cognome, ed a tanti altri illustri letterati, che ne sono*

3 *troppo*

troppo communi le notitie per farne io a V. S. illustrissima una particolare mentione, non posso pero far di meno di non mentionare uno dei piu moderni, cio e la recente memoria di Tobias Sciobinger, uno in vero dei piu dotti, ed eloquenti personaggi, che si sia trovato nel ultimo seculo: possedeva egli diversissime lingue cio e la Latina, Greca, Hebrea, e Siriaca, per non parlar dell' Italiana, Spagnola, Francese, Inglese, e tedesca; mentre queste gli erano cosi communi che indifferentemente hav rebbe potuto orare si in una, come in un altra: Era in oltre buon filosopho, teologo, matematico, astronomo, intendente si in medicina com' in legge, ed eloquentissimo oratore; tal buomo in fine che il Cardinal Sfondrati gia principe di S. Gallo *lo amava teneremente a causa della sua virtu, lo conversava, e visitava spesso chiamandolo il suo Achate: la dieta di Bade dove fu multo tempo Ambasciatore, lo teneva par un oraculo, e la corte di Vienna confesso ch' era impossibile il trovarsi un erudito suo pari.*

De humanitate incolarum & animi candore, plura proferre possem, neque mirum cum totum *St. Gallense* territorium, quod certè est minimum, & hyeme & æstate candidissimum, hyeme quidem atque verno tempore nivibus, æstivis autem mensibus planè coopertum est linteis candidissimis; & quia linificium ad tanta fastigia evexit cives. Hic apponam in gratiam curiosorum integram descriptionem ejus.

 Quo-

Quoniam verò linificii cura, præcipuum quæstum è linificio faciunt, & non tantum plebs urbana, sed maxima pars vicini agri, hinc sibi victum parat, diligenter & accuratè omnia constituta sunt, & cautum ne qua his fraus admitti possit. Primum igitur omnium rudis tela, mox ut à textore opus absolutum fuerit à tribus hujus rei peritis & juratis hominibus inspicitur, & prout fuerit bona vel mediocris, tali signo notatur. Quod si mala & vitiosa videatur, ad textorum tribus magistratum & XI. viros remittitur. Hi vel pecuniâ textorem multant, vel telam juxta octonas ulnas in partes dividunt, aut per mediam latitudinem integram dissecant, aut si prorsus nullius pretii fuerit, publicè eam comburunt. Quotidiè autem inspectio & examen hujusmodi fit, & forum lineæ telæ exercetur certis legibus, ad quas servandas proxenetæ lini se juramento obstringunt. Postquam tela examinata fuerit & probata, jurati mensores eam metiuntur & signant. Mensoribus additi sunt alii; ex XI viris & mercatoribus, mensurarum inspectores, mensuram linteæ telæ vocant *Den Reyff.* Aliud deinde examen est telæ, opera fullonum jam candidæ. Qui hanc inspiciant, vocantur *Die Weissenus Schauwer.* Hi inspiciunt candorem, an satis alba sit; item an in officinâ fullonis non sit læsa, ac prout fuerit, signo notant, aut multam irrogant. Certi quoque homines ex mercatoribus & textorum

rum tribu, fullonum officinas inspiciunt, an omnia ordine & ritè fiant an lignorum & cineris copiam habeant, ne cuiquam in morâ sint. Officinarum quoque magistri quot annis, gravi juramento obstringuntur. Ea vero tela quæ tinctorum officinis destinatur, ab inspectoribus qui a colore nomen habent *Blau und schwartz schawer* in partes æquales secatur ab lini sectoribus, *Leinwatt-Schneider*, & ab aliis denuò examinatur an justam mensuram habet. Denique, si inspectoribus color probetur, signo notant: et rursus, ubi cylindro complanatum fuerit, denuo ab aliis probatur, & sigillum additur; quod si vitium aliquod habeat, vel secatur, vel id, si fieri potest, emendatur, atque tinctores & complanatores mulctantur: Urbs enim *St. Galli* hoc privilegii habet, ut eos qui in lino signando, sigillo addendo, tingendo, complanando, texendo, & similibus, fraude & dolo usi fuerint, capitali judicio sistere, & si in asilum aliquod Cæsareum confugerint, ab inde eximere, atque jure in ipsos animadvertere possit.

Qui plura de rebus *St. Gallensibus* intelligere cupit, adeat *Simlerum* aliosque scriptores de repub. Helvet. & cumprimis *Pazzaglia* superius laudatum. Jam de ecclesiâ Abbatiscellanâ cujus pastores cum *St. Gallensibus* unam faciunt synodum, aliquid dicendum est, necessariò, ut stemus promissis nostris, & quamcunque à viro in istâ regione

regione doctiffimo potui acquirere notitiam, hic libenter opponam.

Abbatifcellanorum ritus ecclefiaftici conveniunt maximâ ex parte cum ritibus ecclefiæ Tigurinæ, tum quod illa hanc maximi femper fecit, tum etiam, quod verbi divini miniftri inde à reformatione ad hæc ufque tempora, plerique fuerunt Tigurini, quamquam cœtus quilibet, pro abfoluto fuo in eligendis paftoribus jure ex aliis etiam Helvetiæ reformatæ cantonibus præcones conftituere confuevit. Ex hâc præconum diverfitate ipfa rituum diverfitas in diverfis unius ejufdem regionis cœtibus orta videtur, quos paucis jam enarrare conamur. Equidem fi oculos noftros convertimus, in I. *Viam*, quâ ad facra in hâc regione munera eundum, examen videlicet & vocationem. II. *Officium* miniftrorum, quod confiftit in docendo per conciones ordinarias & extraordinarias, facramenta adminiftrando, difciplinæ ecclefiafticæ exercitio, curâ fcholarum & ægrotorum, matrimonii confecratione, & litium matrimonialium decifione, & tandem III. *Medium* officio benè obeundo inferviens, quod eft congregatio fynodorum, fpatiofus fe aperit de ritibus differendi campus; at cum ecclefia anguftis continetur cancellis, vix convenit, ut defcriptio rituum illa fit latior.

Qui

Qui munus ecclesiasticum, in hâc regione ambit, vi constitutionum synodalium ab amplissimo magistratu confirmaturum, testimoniis authenticis comprobare necesse habet, se examen theologicum in unâ quatuor celebriorum Helvetiæ reformatæ urbium, *Tiguri*, *Bernæ*, *Basiliæ aut Scaphusii* sustinuisse, & in numerum S. S. ministerii candidatorum receptum esse. Studiosus quilibet theologiæ annum ætatis vigesimum olim, jam prægnantibus de causis vigesimum secundum egressus sufficientibus & vitæ et studiorum testimoniis instructus decanum, sive antistitem Gallopolitanum, quâ par est veneratione, de examine secum instituendo compellat. Inde conventus verbi divini ministrorum indicitur, in quo testimonia exhibita ponderantur, & si nihil obstet, dies examinis, ab amplissimo senatu, rogatione consulis ad gubernacula sedentis designatur. In eo præter dictum D. Decanum, quatuor ministri ex urbe, reliquis diligenter ad propositas quæstiones & responsiones attendentibus, in profectus studiosi philologicos & theologicos, quà theoreticos, quà practicos inquirunt. Finito examine locus vel textus quidam Sacræ Scripturæ idem pro suggestu tractandus præscribitur, & si utrobique expectationi superiorum satis fecit, gravi & piâ decani oratione in numerum S. ministerii candidatorum, concessâ potestate verbum DEI publicè prædicandi, & sacramenta juxta præ-

scriptum

fcriptum Chrifti, adminiftrandi recipitur, & de officio monetur. Hic fingularis ampliffimi magiftratus Gallopolitani munificentia filentio non prætereunda, quâ non folum examinatores & miniftros exteros, examinis affeffores defignatos, poft examen unumquodque, fed etiam præcones & facri minifterii candidatos ex agro pariter & urbe univerfos, finita fynodo communi lauto hactenus folitus eft excipere convivio.

Defuncto paftore cœtus alicujus, vel aliorfum vocato fratres & fymmiftæ vicini vicariam præftant operam, donec fucceffor electus fit. Candidati minifterii, ad fedem vocantem afpirantes, ampliffimum chorarcham, quem *Landammannum* vocant, & decanum adeunt, poft debitam honoris præfationem, & teftimoniorum vitæ piè tranfactæ, examinis fui, & indulgentiæ vocationem ambiendi, tum à magiftratu, tum a minifterio patrio ritè impetratæ exhibitionem, veniam concionis publicè habendæ modeftè petunt, quâ datâ, ad præfectos cœtus fe conferunt, petitionem fuam repetentes. Hi, perceptâ fuperiorum fententiâ, diem dicunt, quo fpecimen edere poffint, quotquot vel indigenæ vel peregrini, fpartam ambiunt, omnibus & fingulis pro fuggeftu auditis, dies conventus ecclefiaftici & electionis definitur, quâ facra peragere folet, finitâ concione templis exeunt mulieres & peregrini quique, manent mafculi omnes, è quibus fuf-

suffragia ferunt, quicunque sacræ cœnæ participes facti sunt more christianorum prisci temporis, quoniam, ibi locorum, jus patronatûs habetur venenum præsens disciplinæ ecclesiasticæ, & innovatio pontificia. Præfectus, vulgò centurio dictus, plebem, penes quem omnimoda est & absolutissima pastores suos eligendi potestas, graviter hortatur, ut arduum hoc negotium in timore Domini suscipiant, gloriæ DEI & saluti animarum suarum promovendæ studeant unicè. Tum quo ordine quilibet candidatus specimen suum habuit, enarrat & suffragia per χειροτονίαν colligit, his aut similibus verbis: *cui inter vos visum est, ut N. N. sit pastor vester futurus, is manum extendat.* Quod si suffragia numero vix videntur differre, uti fortè etiam accidit, pars plebis per hanc, pars per illam januam dimittitur, egredientium numerus notatur, major pariter ut in senatu & foro matrimoniali litem dirimit, & quis pastor sit ostendit. Hic solâ concione inaugurali munus suum auspicatur, ritibus vel ceremoniis ordinationis, quæ apud Tigurinos & Basileenses locum habet, omissis, quanquam olim adhibiti fuerint.

Decanus, potiorem tum pastorum, tum cœtuum curam gerit, præsidis officio in synodis & conventibus ecclesiasticis communiter fungens. Camerarius datâ occasione in quibusdam ejus agit vicarium, de fisco

capituli conservando & dextrè administrando potissimum sollicitus, ministri omnes vestitu non splendido, honesto tamen, facilè à plebeis distinguuntur.

Templa, sive ædes sacræ pro numero cœtuum sunt quindecim, quatuor cis, undecim trans Sintriam, omnia ab imaginibus papanis repurgata, unico excepto, *in Grub*, quod incolis regionis cum vicino pontificiis est commune. In his, tempore æstivo pastores, ludi moderatores, juniores utriusque sexûs in musicâ vocali tum informant, tum profectus quos in scholis privatis fecerunt, explorant. Ubi singularis ardor plebis in hâc arte addiscendâ, notandus, rarò quippè in modicâ ejus scientiâ acquiescit, sed tam diu se exercet, donec psalmos, aliosque hymnos sacros quatuor vocibus, etiam absque libro exactè canere sciant.

Conciones ordinariæ diebus Solis & Mercurii habentur. Horâ nonâ matutinâ turba convenit, propter pecuariam, cui maximè vacant incolæ, habitaculorum item nimiam à templis distantiam, & vias, tempore brumali altâ nive, invias. Ante concionem paragraphi aliquot è psalmo canuntur, pòst minister suggestum conscendit, preces ex liturgia vel agendis, ut vocant, fundit, quas oratione dominicâ claudit, non quidem genua infra suggestum flectendo, sed corpore erecto, omnibusque conspicuo. Tum textus prælegitur, explicatur, applicatur; integri libri biblici ordine

ordine tractantur, licet, pro occasione datâ, themata peculiaria eligantur. Post concionem, præco edicta & mandata magistratus prælegit, populum ad concionis proximè instantis frequentationem hortatur, precibus & cantu actus clauditur, & turba signo per campanam dato dimittitur.

Horâ duodecimâ catechisationes æstate omnibus in locis habentur, in quibus, Catechismus, qualis in Palatinatu in usu est, recitatur à junioribus, à natu majoribus verò explicatio petitur; his peractis, precibus & hymnis ante & post concionem dictis, finitur: aliquibus in locis ante explicationem, præco breviter explicat quendam sacri codicis textum.

Hora secunda pomeridiana Catechisationibus destinata est, per totam æstatem continuandis; in quibus, post cantum & preces, dialogismi, catechismi Tigurini secundum ordinem, explicantur. Quoniam verò multiplici experientiâ compertum est, catechisationes istas, quæ in formâ concionis, stylo licet simplissimo, & ad captum plebis accommodato habitæ sunt hactenus, expectatos à junioribus fructus non ferre, hinc ministri ædificationem etiam aliis modis quærunt, sacros nimirùm conventus, præter consuetos & ordinarios, in templis, scholis, & curiis, instituendo, juniores & ætate provectiores vel de sensu concionum habitarum, vel de aliis religionis capitibus interrogando, controversias, quæ nobis cum

 pon-

pontificiis intercedunt, dilucidè explicando, resfponsiones datas emendando & ulterius informando. Quidam ipsâ etiam in hyeme, tùm concionando, tùm catechisando pergunt. Alii, finitis concionibus catecheticis, horas, quas vocant precatorias, instituunt, quibus post prælecta aliquot ex bibliis sacris capitula, precibus potissimum vacant.

Festa anniversaria habentur quatuor, Nativitatis, Paschatis, Ascensionis & Pentecostes; primum & ultimum duobus, secundum quatuor diebus absolvitur. Jovis, Veneris, ipsius paschatis, & sequente die Lunæ, duobus prioribus ex his manè frequentantur conciones, & finitur explicatio historiæ passionis Domini nostri Jesu Christi, sex septimanis anteà inchoata, à prandio reditur ad labores, duo posteriores integri cultui divino destinantur. Tertium non nisi per unum Jovis, in quem incidit, diem durat, & tum concio ordinaria, quæ die Mercurii habenda fuisset, intermittitur. Præter hæc festa, sacer etiam est primus cujusque anni dies, quo, aut memoria circumcisionis Salvatoris nostri celebratur, aut textus alius tempori conveniens, explicatur, & pia pro cœtuum incolumitate vota concipiuntur. Jejunium publicum quotannis ferè unicum habetur, à D. D. delegatis Cantonum Helvetiæ reformatorum in comitiis vel Badensibus vel Arovienfibu determinatum, & pòst edicto magistratûs

promulgatum; illud, textuum cumprimis pœnitentialium explicatione & applicatione feriâ, horis matuinis & pomeridianis transigitur.

Etiam defuncti, quotquot sacræ cœnæ participes facti, concionibus, ut vocant, funeralibus honorantur, minister quippe ante omnia, nomine familiæ defunctorum, gratias agit iis, qui hos ad locum sepulturæ sunt comitati; concioni habitæ brevis annectitur personæ defunctæ, ejusque vitæ descriptio, qualis quidem ad communem ædificationem facere videtur, precibus tandem se ad DEUM convertit præco, quem, ob liberationem defuncti laudat, simulque invocat, ut superstites lugentes paternè tueatur, erigat afflictas, pristinæ sanitati restituat ægrotos, & morituris suo tempore beatam largiatur ἀνάλυσιν. Incolis quibusdam mos est ante ædes & ad sepulchra defunctorum, qui efferendi & terræ mandandi sunt, genibus flexis precari, pars autem maxima huic consuetudini valedixit.

Baptismus singulis diebus, imò & horis, si in diem Solis incidit, hic ante cantum, trinâ ablutione frontis, præsentibus ad minimum quinque personis, patre nimirum infantis, susceptoribus binis, viro & fœminâ honestis, obstetrice & æditu administratur. Finito baptismo, quibusdam in cœtibus susceptores genua ad baptisterium flectentes fundunt preces, aliis his omissis statim discedunt. Liberi illegitimi, si modo

per

per firmitatem corporis eorum licet, tam à baptismo arcentur, donec verum parentem indicaverit mater.

Sacra cœna ter in anno, festis scilicet nativitatis, paschatis & pentecostes celebratur. Tempore instante ad dignum ejusdem usum conciones habentur præparatoriæ; cœlibes singuli utriusque sexûs ad reddendam vel in templis, vel in ædibus parochialibus fidei suæ rationem edicto magistratûs adiguntur; illi verò, qui sacra symbola nondum acceperunt, sex diebus Solis, vel pluribus ante quodlibet festum, in templis examini rigorosiori subjiciuntur, in quo tamen pastores & juniorum & ætate provectiorum habent rationem, hos in fide confirmando, illos verò fideliter instituendo. Communicantes singuli ad mensam domini accedunt, viros præcedentes sequuntur fœminæ. Panem à pastore accipiunt, azymum, non nisi ex longo usu; calicem in quibusdam ecclesiis præbent duo, vel etiam tres seniores & curatores ærarii ecclesiastici; aliis unus sufficit. Durat communis vel sacer iste actus plerumque per tres horas, & altero post festum demum die, propter maximum communicantium numerum finitur. Communio privata, non nisi in extremo necessitatis gradu administratur, si quis nimirum per annos complures graviter decumbens, viribus planè exhaustus ardentissimum subinde sacramenti hujus percipiendi testetur desiderium,

hâc

hâc tamen lege, ut alii fideles, non pauci numero, ecclesiolam quasi constituentes, simul sacræ hujus cœnæ intersint.

Scholis porrò ministri plerumque ipsimet præsunt, ut mores in juventute formandi, & pietatem maturè instillandi commodior ipsis fiat occasio; in quo quidem officii genere, mirè sibi animos auditorum conciliant. Quod si pro more regionis ludimagistri id agant ex plebeiis, viri honesti, eorum scholas diligenter visitant, dirigunt, in id intenti maximè, ut juniores non saltem legere & scribere discant, sed præprimis fundamenta salutaris cognitionis jaciant, & catechismum memoriæ mandent. Ægrotis suis visitationem vel mediâ hyeme, altâque nive expetentibus ope & solatio adsunt. Pauperes ob Nosocomiorum defectum, tum consanguineis, invitis magistratus auctoritate ad id charitatis officium compellandis, tum spontaneæ cœtûs universi liberalitati pro suggestu commendant. Conjuges à se diffidentes sibi reconciliant, refractarios & scandalosos delinquentes & turpiter palàm degentes sine discrimine ad se vocant, corrigunt, hortantur, minantur. Obstinatiores ad amplissimum magistratum delatos, & nec per mulctas, neque carceres correctos excommunicant, hoc ferè modo: ministri cum singulis præfectis cœtûs, vel omnes in synodo congregati, cum delegatis magistratûs, delinquentes post iteratas & frustraneas admonitiones, & incre-

increpationes, ab usu sacræ cœnæ arcent, & ex ipsâ ecclesiâ rejectas habent, donec ad se redierint, delictorum seriâ pœnitentiâ ducti, eadem publicè professi sint, & sui emendationem non promiserint saltem, sed ejus signa haud contemnenda dederint. Excommunicatio, ut vocatur, major in hac urbe ignoratur, non quod ea improbetur, sed quod ejus nulla planè extent exempla.

Matrimonia diebus Solis, Martis & Mercurii consummantur & consecrantur; primo quidem ordinariè maxima incolarum pars, secundo εὐγενέστεροι, tertio scortatores, vel quorum concubitus præmaturi innotuerunt, copulantur, quia inter scortatores & præmaturos concubitus, nullum vel parvum est discrimen. Ante copulationem solemniter promulgantur, vel si promulgare noluerit, testimonia à consistorio sufficiunt, ut, si quid fortè personarum conjunctioni obster, ad magistratum deferri possit. Die copulationis minister de suggestu finitâ concione descendens, in locum baptisterii se confert, quem neogami adeunt, & in genua procumbunt. Prælectis prælegendis, desponsandorum dextras præhendens, quærit ex utroque, *utrùm personam præsentem expectant conjugem propter* DEUM? Tùm affirmantium dextras jungit, fidem datam confirmat, iis benedicit, & de mutuo officio monet; cœtus autem universis precibus apud DEUM intercedit, benedictionem iis expetens; oratione dominicâ & cantu

actus

actus finitur. Templis egressi neogami diversoria adeunt, convivio nuptiali lætati, lares suos repetunt. Exteri quique matrimonia sua hic consummare volentes iisdem quibus incolæ legibus tenentur matrimonialibus, gradibus nimirum consanguinitatis in hâc regione prohibitis abstinere, & testimoniis quà politicis, quà ecclesiasticis demonstrare, nihil sui copulationi obstare, hoc quoque observandum quod quilibet nisi uxorem duxerit è patriâ suâ, quandam mulctam luere cogatur.

Lites matrimoniales olim quidem episcopus Constantiensis decidebat, at quoniam conscientias incolarum confessione auriculari, ad quam eos vi compulit, turbare cepit, ad forum matrimoniale in ipsâ regione jam à seculo & quod excurrit, erectum deferuntur. Hic juxta verbum DEI, leges scriptas & conscientiæ dictamen judicant, in causas quascunque severius inquirentes; dubiis de causis, matrimonia vel impedientibus, vel promoventibus ex sinistrâ legum vel graduum consanguinitatis interpretatione oriundis, respondent, refractarios carceribus includunt, divortia quoad thorum & vinculum ob commissa adulteria aut malitiosam desertionem concedunt. Ab hoc foro provocatio ad judicem superiorem non datur, cum litigantes nec esse talem, habeant juramento asseverare, & se sententiæ judicum staturos.

Synodi huic regioni sunt duæ, altera communis cum ministerio Gallopobitano, quam majores præter alias causas, ob paucitatem cœtuum suorum instituerunt, & peculiaris, sive propria, quæ in ipsâ regione vicibus alternis Trogæ & Herisaviæ habetur, die Mercurii post Pascha. Verbi divini præconibus & ministerii candidatis singulis assident, amplissimi magistratus delegati sex, suprà in descriptione fori matrimonialis recensiti. Sacrum hunc actum præcedit concio matutina, quâ finitâ, post prologum brevem decani, acta synodi superioris enarrantur, & membra, si quæ adsunt nova in communionem synodi recipiuntur. Postquam decanus per suffragia de novo, præses est designatus, leges synodales præleguntur, gravamina à fratribus panduntur, & cum assessoribus politicis de iis vel tollendis, vel mitigandis deliberatur. Sequitur dein censura, facto initio ab ipso decano, in singulorum mores, & in officii administrationem inquiritur. Qui fecit, quod decuit, locum suum reassumit (quia dum censura instituitur in aliquem, it foras, cum omnibus suis si quid adsint consanguinitatis, ut liberius vicini pastores, de ejus moribus coram, differant;) qui verò suo munere satis negligenter fungitur, vel id malis moribus deturpavit, corripitur, increpatur, & pro culpæ naturâ sæpius ab officio donec resipiscat suspenditur. Hic quisque colit spartam sibi creditam per se, non per vi-

carios, neque cuique licet frui duobus in ecclesiâ muneribus, hoc etenim portentum ingens existimaretur, a priscis moribus christianorum abhorrentissimum, & polygamia haberetur ecclesiastica, civili quâvis multo turpior & ab omni pietate christianâ remotior, nemo etenim animitus inservire potest duobus dominis multo minus dominabus. Hæc pauca de rebus Sangallensibus, lector benevole, volui tecum communicari, quas æqui bonique consulas, valde te rogo. *N. B.* Hæc regio Abbatiscellanensis stilo veteri sola utitur, cui addictissima est plebecula, ut neque postulatione reliquorum Cantonum, nec sui magistratûs suasionibus, ad novum stilum recipiendum adduci possint; quapropter motuum publicarum metu, gaudent ad hunc usque diem suo stilo veteri.



ILLUS-



Illustrissimo atque Serenissimo

Principi GULIELMO, Duci de *CUMBERLAND*.

J. T. Philipps, S. D.



ERBREVES has Epiſtolas, quarum pleraſque jamdudum legiſti atqueintellexiſti, eâ quâ par eſt obſervantiâ tibi offero, Princeps celſiſſime, ut eas nitidiſſimè impreſſas, de novo re-volvas diligenter; continent enim ad cultum ingenii, atque ad vitam ſapientiſſimè inſtituendam, multa longè utiliſſima; & ſi quid tibi occurrat difficultatis, operam meam, ſtudia mea & cogitationes omnes libentiſſimè tibi do, dico, dedico. Sed tu tibi perſuadeas velim, diſcipulorum optime, me dare ut des, facere ut facias; a te enim amari peto & volo, nec non ut alacri

animo

animo prosequaris studia literarum: quod si feceris (facies sine dubio) museum tuum non erit ergastulum, sed verè ludus literarius; & nihil profectò felicius vel facilius addiscitur, quàm quod discimus ludendo. Macte virtute regie puer, & plus quam dimidium animæ meæ; sic itur ad astra, sic acquiritur fama immortalis & amor totius populi Britannici. Misceamus colloquia Latina continuè, pro re natâ, de rebus divinis & humanis; ut more majorum, usu quotidiano (omnium disciplinarum optimo magistro) Latinam linguam perdiscas, & eruditionem solidam, quam cæteri nostri temporis pueri multorum annorum laboribus & corporis & animi lacerationibus debere solent, ingenio tuo acri, tuto, cito & jucunde, tu Dux inclyte, acceptam referas. Vale.

Die 26. Maii.



Epistolæ Selectæ.

EPIST. I.



VEHEMENTER a me petebas, Principum optime, ut per literas te docerem, *Quid est Sapere?* Hodie honestissimo tuo desiderio satisfaciam libenter; ante omnia discute somnum benè manè, indue te eleganter, lava manus & faciem aquâ limpidâ; flexis genubus precare Deum Optimum Maximum, ut sospitet Dominum Regem, atque clementissimam Reginam, & benedicat studiis tuis omnibus. Hæc officia viri boni si præstiteris indesinenter, verè sapies. Vale. Die vigessimo octavo *Novemb.* 1727.

EPIST.

EPIST. II.

LITERAS meas fuisse tibi gratas, gaudeo ex animo; ideóque quæstioni tuæ de Sermone Brutorum, profectò satis curiosæ, paucissimis respondebo. Omnia Bruta edunt sonum aliquem naturalem, in omni regione eundem. Agnus balat Be, Be, Be; Lupus in Galliâ atque Germaniâ, ululat Lu, Lu, Lu. Sed aliquæ aves imitantur vocem humanam, ut Psittacus, atque Corvus, qui satis distinctè loquuntur Gallicè, Germanicè, atque Græcè, si habeant doctos Præceptores. Vale, & da operam linguæ Latinæ. Et si me amas, cura ut valeas. Die 30 *Novemb.* 1727.

EPIST. III.

DE naturâ Dei Optimi Maximi, & creatione omnium rerum, nuper scripsi: examinabimus hodiè si tibi placet, quatuor Elementa, cum suis incolis; mare nutrit pisces, quorum Rex est Balæna; in aëre regnat Aquila, avis rapacissima; terra est diversorium omnium animalium, quiqus præest Homo, qui ea gubernat pro suo libitu. Has paucas lineas, si Anglicè vel Germanicè ad amussim interpreteris, eris, Dux Charissime, plusquam dimidium animæ meæ. Vale. Die 20 *Decemb.* 1727.

EPIST.

EPIST. IV.

IGNIS eſt ex numero Elementorum, attamen nullum animal poteſt in eo vivere; quod attinet enim Salamandram, quam aliqui affirmant vivere in igne, credo eſſe meram fabulam. Ignis excitatur beneficio chalybis & ſilicis, cujus ſcintilla minima aliquando cauſa eſt maximi incendii, quod multas domos ſplendidas reducit in cineres. Vale. Die 30 *Decemb.* 1727.

EPIST. V.

MONUI te heri, Sereniſſime Princeps, Ignem Elementum eſſe ſterile, & nullas habere incolas, nihilo minus tamen eſt cauſa vitæ, non tantum quadrupedibus, & avibus cœli, ſed etiam in vermibus terræ; preterea neque gramen creſceret in campis, neque ulla arbor ferret fructus, ſine calore ignis; uno verbo, quicquid vides tuis oculis, ſine beneficio ignis, mutaretur in glaciem duriſſimam. Jubeas rogo ancillam tuam, ut accendat ſplendidum ignem benè manè, quod mihi homini ſeni ità gratum erit, ut nihil gratius eſſe poſſit. Vale. Die 4 *Decemb.* 1727.

EPIST. VI.

IN duabus epiſtolis heri atque nudiuſtertius ad te, Chariſſime Diſcipule, datis, ſatis, ni fallor, ſcripſi de naturâ atque indole ignis. Hoc tempore ſcias velim, Fumum eſſe humorem aqueum ligni, vel carbonis, qui aſcendit in altum, & poſtea diſſipatur in aerem; & ſiqua particula hujus fumi adhæreat camino, vocatur fuligo, qui ſi inflammetur, tota domus comburitur; ideóque habemus parvos pueros, qui bis in anno purgant noſtros caminos, ne quid accidat infortunii; & in ſummitate domûs, canunt altâ voce, magnâ alacritate animi, *Sweep, Sweep.* Vale. Die 5. *Decemb.* 1727.

EPIST. VII.

QUAM primum te cognoveram, ſatis videbam eſſe tibi magnum ingenii acumen, & te natum non ad colendas nugas, ut alii pueri noſtri temporis, ſed ad tractandas bonas literas. Propoſuiſti mihi heri, Princeps Optime, quæſtionem ſatis curioſam, ſed difficilem explicatu, Exempli gratiâ, a me petebas, ſiqua res redigitur in nihilum? reſpondebo tibi, verbis quam potero pauciſſimis: materia eſt immutabilis, & ſemper eadem, ſed varias, & quotidiè induit novas formas; ut, pluvia

ſi parum gelata, fit nix; ſi magis, fit grando; ſi verò maximè fuerit gelata, fit glacies; & tamen ſemper eſt aqua.Ità tu, ſive ſis nudus, ſive indutus tunicâ nigrâ vel rubrâ, ſemper *Gulielmus* es Cumberlandiæ Dux, mihi ſub omnibus modis maximè charus. Vale. Die 6 *Decemb.* 1727.

EPIST. VIII.

VARIAS ad te dedi epiſtolas de naturâ quatuor Elementorum. Jam ordo requirit, ut aliquid ſcribamus de metallis & lapidibus pretioſis, qui naſcuntur in ſinu terræ, & quos homines inde effodiunt magno labore ſuo: ſed ante omnia loquamur de Auro, omnium Metallorum graviſſimo; quod ſemper eſt charum, quia rarum. Ideóque valde abs te peto, Diſcipulorum optime, da mihi dono mille aureos: quod ſi feceris; facies (ſine dubio) quod gratum mihi erit, ut nihil gratius eſſe poſſit. Vale feliciter. Die 8 *Decemb.* 1727.

EPIST. IX.

CUM eſſes Richmondæ, non per jocum, ſed ſæpè dicebas ſeriò; quemadmodum magnes trahit ferrum, eodem modo ſtudia literarum trahunt animum meum: Deus optimus maximus te ſervet,

& ſoſpitet per multos annos, in hoc optimo tuo propoſito; ut tu ipſe, Dux Sereniſſime, inſtar magnetis, trahas ad te, non tantum oculos, ſed animos quoque omnis populi Britannici: ideóque peramanter abs te peto, ut ſemines in animo tuo candido, omnis virtutis ſemina, quæ creſcant denique in magnam arborem, ferentem aurea poma; modeſtiam ſcilicet, & pietatem, quam ut feras in magnâ copiâ, DEUM vehementer oro & veneror. Vale. Die nono *Decemb.* 1727.

EPIST. X.

SÆPE te moneo & hortor, ut tibi caveas ab adulatoribus, qui affectibus animi tui inſerviunt, ſed dignitatem famæ tuæ planè negligunt: ideóque ne mihi iraſcaris quæſo, ſi epiſtola mea ſit aliquando aſpera & vehemens, diſſuadendo te ab omni procacitatis genere; quià meum officium eſt adhibere remedium morbis animi, quemadmodum boni medici curare ſtudent varios morbos humani corporis. Ego Deum precor omni tempore matutino, ut det tibi mentem ſanam in corpore ſano. Feliciſſime vale. Die Decimo *Decemb.* 1727.

EPIST.

EPIST. XI.

HODIE mane in ſomno fui turbatus; habui enim ob oculos, parvum puerum formæ profectò elegantiſſimæ, benè veſtitum, ſtantem inter duas fæminas, quarum impudens & petulans una, quæ obtulit ei voluptates vanas, atque nugas omnis generis, eaſque propoſuit ei pro ſummo bono. Altera vero matrona erat placida ſatis, atque modeſta; promittebat ei famam immortalem, & amorem omnis populi Britannici, felicitatem veram magni Principis. Tum egregius ille puer, ægrè ferens petulantiam iſtius fæminæ nullius frugis, abi, inquit, in malam rem, cum tuâ adulatione & malis fraudibus: quæſo te, interpretare hoc ſomnium meum, & magnum tibi debebo beneficium. Vale. Die undecimo *Decemb.* 1727.

EPIST. XII.

PRO elegantiſſimo libello, quem mihi dono dediſti, maximas ago tibi gratias: ſummâ etenim voluptate eum legi a capite ad calcem: doctiſſimè deſcribit Coronationem Regis & Reginæ, multa profert de virtutibus ſereniſſimarum Principum tuarum ſororum; ſed & *Fredericum*, Walliæ principem, vocat ſpem Patriæ, & delicias humani generis; & te quoque his verbis

verbis alloquitur, Salve *Gulielme* Magnæ Britanniæ & Saxoniæ Stella clarissima. Vale. Die decimo tertio *Decemb.* 1727.

EPIST. XIII,

OBSERVARI jam per multos dies continuos, Librum Exodi valde esse difficilem, & nullo modo tibi gratum; quamobrem præteribimus secundam hujus libri partem, aggrediamur Historiam *Joshuæ*, quæ adeò est lectu jucunda ut nihil jucundius esse possit. Hic enim habemus transitum populi Israelis per fluvium Jordanem, mortem sacrilegi *Achan*, Jerichuntem cornuum sonitu destructam, & Hai urbem per insidias captam, & combustam flammis. Vale. Die decimo quarto *Decemb.* 1727.

EPIST. XIV.

MITTO tibi *Terentium* gallico-latinum, cum figuris satis lucidis; utinam mihi liber esset elegantior, tecum profecto communicarem libenter. Observa diligenter personas omnes dramatis, & præcipuè *Phormionem*, nebulonem maximum, qui bono seni verba dedit & imposuit turpiter. Tu interea, charissime Dux, ita gravissimè & modestissimè te gerito, ut omnes spectatores dicant, velint nolint, partes

partes tuas te optimè egisse. Vale. Die decimo nono *Decemb.* 1727.

EPIST. XV.

IN illustrissimâ scholâ Westmonasteriensi, recreasti animum tuum sermonibus *Terentii* poetæ, oculos elegantissimis actorum vestibus, & aures tuos exhilerasti musicâ suavissimâ: dic amabo, tota comœdia quomodo est peracta? quis bene, quis male, quis denique mediocriter se gessit? qui quæso adfuerunt episcopi? cum quibus nobilibus viris habuisti colloquia, me doceas rogo. Tu sine dubio, serenissime Princeps, superasti spem atque expectationem omnis populi, præbendo te speculum bonæ mentis, ut decebat *Gulielmum* Cumberlandiæ Ducem. Feliciter Vale. Die vigesimo *Decemb.* 1727.

EPIST. XVI.

GRATULOR tibi, gratulor Regi atque Reginæ; uno verbo, gratulor toti generi humano, felicissimum hunc diem natalem Jesu Christi; qui nostram naturam libenter induit, & passus est mortem acerbissimam, ut redimeret nos miseros peccatores, a servitute Diaboli. Ille est semen muliebre promissum in Paradiso *Evæ* & *Adamo*, primis nostris parentibus, ad conterendum caput serpentis. Officium meum

meum eſt, chariſſime diſcipule, & tuum eſt quoque officium, imitari a primâ tuâ juventute vitam piiſſimam dulciſſimi Jeſu. Vale. Die 25 *Decemb.* 1727.

EPIST. XVII.

QUemadmodum heri celebravimus nativitatem Jeſu Chriſti, itâ hodie eccleſia Chriſtiana memoriam *Stephani*, viri ſanctiſſimi, qui pro veritate religionis noſtræ lapidatus fuit a Judæis; (omnium hominum qui fuerunt, qui ſunt, vel unquam ſunt futuri, longè peſſimis.) Dulce eſt pro veritate & pro patriâ mori; ſic etenim viri boni acquirunt ſibi famam immortalem. Vale feliciter, ſemper ama veritatem, & cole religionem. Die 26 *Decemb.* 1727.

EPIST. XVIII.

QUI noſtro tempore ſcribunt ad magnos principes, maxima pars epiſtolæ conſumitur in laudando bona corporis, formam pulcherrimam ſcilicet, & membrorum firmitatem; vel laudant bona fortunæ, ut ſunt tituli dignitatis, vel magna vis auri & argenti; ſed, chariſſime princeps, ſic tu tibi perſuadeas velim, bona corporis ſunt incerta, bona fortunæ habent alas; ideóque author tibi ſum, ut diligenter quæras bona animi, virtutem ſcilicet & ſcientiam,

tiam, quæ nunquam te deserent, sed manent post funera, nomenque tuum reddent maximè charum seris nepotibus. Vale. Die 27 *Decemb.* 1727.

EPIST. XIX.

LEGI nudiusquartus in novellis publicis, quid & quantum tu præstiteris in gratiam Domini *Palauret*. Quomodo fratrem ejus liberaveris a tristissimâ servitute, & eum feceris caput liberum. Hæc profectò erat actio verè heroica, & juvene Cumberlandiæ Duce digna: amabo perge alacriter hâc viâ rectâ, quæ ducit ad gloriam immortalem; adjuvando viros bonos, & colendo optima studia literarum. Vale. 29 *Decemb.* 1727.

EPIST. XX.

HOdierno die mensis Januarii, & anni novi primo, quisque mittit, aut accipit strenas. Viri divites, atque nobiles, servis suis fidelissimis dabunt res pretiosissimas; ex contrario pauperes atque nullius fortunæ homines offerunt principibus dona parvi momenti, ad captandam gratiam. Ego qui hoc tempore meliora non habeo, ad te mitto (Dux eruditissime) strenas literarias, epistolas scilicet meas, quas tu jamdudum singulas legisti libentissimè, collec-

tas in volumen. Ne ægrè feras rogo. Vale. Die 1 *Jan.* 172⅔.

EPIST. XXI.

GRATULOR tibi, gratulor mihi, gratulor omnibus bonis, profperam valetudinem tuam reftitutam: non ego etenim folus angebar animo, fed omnes erant valdè triftes, cum intelligerent te ægrotâffe per tres dies continuos: uxor mea, quæ te optimè novit, amici omnes; uno verbo, fenes, vetulæ, pueri, puellæque, quæ obviam mihi venerunt, clamabant altâ voce; dic amabo, quomodo fe habet *Gulielmus* Dux; noftra fpes, & omnis virtutis fpeculum; profectò fi ille abibit ad plures, nos omnes quotquot fumus, defcendemus in eandem cymbam Charontis, & ceffabimus effe inter vivos. Vale & vive feliciter, ne moriantur multi boni. Die 2. *Jan.* 172⅔.

EPIST. XXII.

PER duodecim annos continuos iter inftitui per omnes fere Europæ regiones, & colloquia habui cum multis viris illuftriffimis, baronibus fcilicet, comitibus, ducibus, principibus, epifcopis, cardinalibus, nec non cum ipfo pontifice Romano: fed, ut verum fatear, nemo horum invitabat me ad compotationem infufionis

ſionis theæ, niſi optimus *Gulielmus* Cumberlandiæ Dux; cui infinitas & immortales habeo & ago gratias. Vale. Die tertio *Jan.* 173$\frac{1}{8}$.

EPIST. XXIII.

ILluſtriſſima Domina *Tipping* nullo modo eſt adulatrix, neque inſervit animi tui affectibus, mittendo tibi reculas parvi momenti, nugas ſcilicet inanes, quæ tantum bimulis vel trimulis gratæ eſſe poſſunt; ſed tibi dono dedit naviculam bellicam, cum toto ſuo ornatu, quæ te monebit quotidiè, ut incipias notitiam habere rei nauticæ, quia ſuo tempore futurus es architalaſſus totius Angliæ, ad ſuperanda omnia monſtra marina, piratas ſcilicet, & omnes alios hoſtes populi Britannici. Vale. Die 8 *Jan.* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. XXIV.

CUM heri laborares exquiſitiſſimis illis aurium doloribus, profectò adeò dolebam tuam vicem, ut dolores tuos, ſi id fieri poterat, in aures meas tranſtuliſſem libentiſſimè; ſed quod penes me eſt, faciam ſine ullâ exceptione loci vel temporis, precabor ſcilicet DEUM O. M. ut in futurum pellat longiſſimè a tuâ Altitudine, morbos atque dolores omnis generis. Vale. Die nono *Jan.* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. XXV.

NON ità pridem ſomnium meum, interpretatus es dextrè & doctè ſatis, ideóque abs te peto, dic ſodes, quid ſibi velut ſomnium hoc, quod ſomniavi hodiè, horâ quintâ matutinâ? vidi ſcilicet puerum bonæ fortunæ, & egregiè veſtitum; attamen ludibundum ſatis, & nugatorem maximum, quod cum viderit hujus pueri pater (qui erat vir planè optimus) exuit filium ſuum iſtis veſtibus pretioſis, & eas dono dedit puero pauperi & modeſto, qui colebat virtutem & bonas literas. Vale. Die 11 *Jan.* 172⅞.

EPIST. XXVI.

AUDIVI a multis clementiſſimam Reginam, plurimis nobilibus viris comitatam, in vivario heri ambulâſſe, per duas horas continuas; miror profectò te hoc tempore ſereno nunquam prodire foras, quià moderata ambulatio multum conducit ſanitati corporis & animi. Vale. Die 12 *Jan.* 172⅞.

EPIST. XXVII.

HERI tempore matutino vidi Regem noſtrum potentiſſimum, cum ſereniſſimâ Reginâ petentem eccleſiam, ſed te nun-

nunquam vidi. Ideóque magnopere ſcire a te velim, quam petis eccleſiam? Anglicam, Gallicam, Germanicam, vel planè nullam? forſan etenim colis DEUM in tuo cubiculo. Quicquid ſit, mihi ſatis perſuadeo, te ludendo & garriendo, non conſumere ullam diem dominicam. Vale. Die 13 *Jan.* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. XXVIII.

SEMEL atque iterum te monui (Princeps celſiſſime) hominem vocari Microcoſmum, vel parvum Mundum? quià nihil eſt in mundo magno, quod non invenias in tuo corpore; ſaxa etenim referunt oſſa, capilli gramen, aqua ſanguinem, flumina venas & arterias, magna tuſſis terræ motum; & quemadmodum animus regnat in humano corpore, ſic DEUS O. M. dirigit univerſam machinam quam habes ante oculos, terram ſcilicet, & cœlum, cum ſeptem planetis, & omnibus ſtellis fixis. Vale. Die 15 *Jan.* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. XXIX.

OBſervavi jamdudum, te vehementer ambire notitiam corporis humani; verbis pauciſſimis ſic habeto rem totam: eſt pulcherimum ædificium, duobus columnis ſuſtentatam; quas Latinè vocamus pedes. Dividitur in tria cubicula vel contignationes

tignationes tres, quorum ſupremum eſt cranium, in quo eſt cerebrum: medium eſt pectus, quod cor continet atque pulmones. In infimo cubiculo eſt jecur & ventriculus, ubi quoque ſunt inteſtina (vulgo *Guts.*) Vale. Die 17 *Jan.* 172$\frac{2}{3}$.

EPIST. XXX.

HERI ſatis benè intellexi, te magno affectum eſſe gaudio, cum meam epiſtolam de partibus humani corporis perlegeres. Sed ſcias velim, (Principum optime) corpus nullius eſſe pretii, ſi id comparaveris cum animo immortali: ideóque apud me ſtat (DEO dante) ob oculos tuos ponere naturam humanæ mentis, cum variis ejus affectibus; quam doctrinam ſi rectè comprehendere poſſis, tu ſtatim incipies noſcere te ipſum; quæ profectò notitia omnium ſtudiorum eſt finis ultimus. Vale. Die 18 *Jan.* 172$\frac{2}{3}$.

EPIST. XXXI.

CORPUS humanum, etiamſi mirâ arte ſit fabricatum a ſapientiſſimo artifice, qui creavit mundum; attamen nihil aliud eſt quàm animæ domicilium. Et quemadmodum rex pluris æſtimatur quàm ullum ſplendidiſſimum palatium, gladius quàm vagina, gemma quàm capſula; ità anima tua pluris eſt pretii, quàm tuum cor-

corpuſculum. Quod ſi verùm eſt (crede mihi, verum eſt, chariſſime Dux, quàm quod veriſſimum) tu debes magis ambire ornamenta animæ tuæ, quàm cibos delicatos pro ventriculo, vel pro humeris veſtimenta ſerica. Vale. Die 19 *Jan.* 172⅜.

EPIST. XXXII.

ARS longa eſt atque difficilis, ſed noſtra vita valdè brevis, quæ dividitur in varias partes, ſcilicet infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, juventutem, ætatem virilem, ſenectutem, & vitam denique decrepitam; cum homines repueraſcunt, loquentes & garrientes quicquid in buccam venit; & quià non poſſunt incedere recto ſtatu corporis, utuntur baculo. Ideóque ſi vita eſt adeò brevis, da operam tuis ſtudiis, quià hora ruit ſenſim ſine ſenſu. Vale. Die 20 *Jan.* 172⅜.

EPIST. XXXIII.

ADEO benignè atque clementer me tractâſti heſterno die poſt meridiem, atque diligens fuiſti in perſequendis tuis ſtudiis, ut animum meum magnâ voluptate recreaveris; &, quod caput rei eſt, liberâſti me a peſſimâ meâ tuſſi; uno verbo, ſi hoc pede pergas, vergendo quotidie in melius, inſervies tuis ſtudiis, famæ tuæ, & vitam meam reddes longiorem, atque ſuaviorem;

viorem; quod si facies, gratum erit mihi ut nihil gratius esse possit. Vale. Die 23 *Jan.* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. XXXIV.

SEptimanâ superiore, multos atque prolixos habuimus sermones de figuris hominum bicipitum, tricipitum, labeonum, atque loripedum; & valde desiderabas, ut paucissimis verbis te docerem, quid est monstrum, quid gigas, quid denique nanus; Respondeo; quod abit a formâ ordinariâ, vocatur monstrum; quod majus est debito, vocatur gigas; & quod minus est debito, vocatur nanus. Vale. Die 24 *Jan.* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. XXXV.

SAtisfeci tibi, quàm optimè poteram, de gigantibus atque nanis in epistolâ meâ ad te, inclyte Dux, heri datâ: hodiè repetam tibi, quid nuper legi de Austriæ Principibus; qui, si fides sit adhibenda historicis, omnes ad unum sunt labeones. Ego ipse *Carolum Sextum* Germaniæ Imperatorem sæpius vidi, & si tua Celsitudo mihi velit credere, est reverà labeo. Vale. Die 25 *Jan.* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST.

EPIST. XXXVI.

NOVI puerum nobilem, cui eſt egregia indoles, magnum acumen, & memoria planè divina; perlegendo etenim paginam integram ter vel quater, memoriter poterit repetere. Alterum novi juvenem, adeò tardi ingenii, ut ſi vel prælectionem millies legat, nihil retinere poſſit, ac ſi eſſet cribrum pertuſum. Tu, Dux inclyte, quis horum culpandus ſit vel puniendus, ſi non ſatisfecerit ſuis præceptoribus, eſto juſtus judex; & nihil tribue animi affectibus. Vale. Die 29 *Jan.* $172\frac{7}{8}$.

EPIST. XXXVII.

HISPANI, Galli, Itali atque Germani, magnoperè colunt vineas; regiones enim ſunt calidæ, ideóque habent vinum in magnâ copiâ, & parvo pretio. Sed inſulæ Britannicæ ſunt magis frigidæ, ideóque non optimo ſucceſſu colunt vitem; quamobrem incolæ, pro vino habent cereviſiam generoſiſſimam, quam ſæpe non modo ad ſanitatem corporis, animique alacritatem, ſed ad ebrietatem uſque bibunt. Vale. Die 30 *Jan.* $172\frac{7}{8}$.

EPIST. XXXVIII.

EGO candidè profiteor, me non satisfecisse Celsitudini tuæ, de modo conficiendi lintea atque pannos; ideóque author tibi sum, ut quàm primum attingas annum tuæ ætatis decimum, tu ipse oculis examines diligenter res artificiales; quæ multo facilius intelliguntur semel atque iterum eas videndo, quàm audiendo prolixos sermones præceptorum, qui rarissimè ipsi intelligunt artes mechanicas. Vale & ignorantiæ meæ ignoscas rogo. Die 1 *Feb.* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. XXXIX.

A*DAMUS* omnium mortalium parens, nullam habuit domum, multo minus palatium; quià istis temporibus, nullus erat faber lignarius, neque murarius, qui ex lapidibus & lateribus extrueret muros; sed vixit sub arborum ramis; quia paradisus posita erat in regione temperatâ; & ejus filii posteà, in locis frigidis, habitabant speluncas; & tandem *Adami* nepotes ædificabant sibi domos, atque agebant vitam sub tentoriis. Vale. Die 4 *Feb.* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST.

EPIST. XL.

EST in ore omnis populi, aliquem juvenem valde nobilem, malè tractâsse suam sororem natu minimam, quamobrem delatus fuit ad summum magistratum, atque parum abfuit quin conjiceretur in carcerem publicum; dic, quæso, si quid audivisti de hoc negotio, quià valde velim scire nomen istius pueri. Vale. Die 9 *Feb.* 172⅞.

EPIST. XLI.

EPISTOLAM tuam stilo Gallico scriptam, magnâ animi alacritate, bis, ter, quater, quinquies legi, & de novo eam incipio relegere, ut DEUS unus noverit, quando finem facturus sum legendi, adeò ejus lectio est mihi grata; si sæpe ad me scripserit Celsitudo tua, magno honore atque beneficio me afficies, & tu ipse scribendo disces scribere; & orthographiam Gallicam magnoperè coles. Vale. Die 10 *Feb.* 172⅞.

EPIST. XLII.

EN habes, discipulorum optime, historiam valdè tragicam, de Sacerdote Pontificio, qui persuadere tentavit puero rustico Lutherano amplecti religionem Ro-

manam; sed cum puer ei noluit morem gerere, sacerdos personavit Diabolum, quem intrepidè aggressus est juvenis magnâ securi, & sub Diaboli formâ, divisit caput sacerdotis in partes duas. Vale. Die 14 *Feb.* 172⅞.

EPIST. XLIII.

MONUI te heri per literas de duello inter servum rusticum, & sacerdotem ecclesiæ Romanæ qui induens formam Dæmonis, vitam suam stultissimè pro morte mutavit: neque est alienum abs re nostrâ, ut hodiè te certiorem faciam de pugnâ in meo horto pugnatâ inter duos Gallos, quorum unus erat pater, alter verò filius, & pater interfectus fuit a filio. Vale. Die 15. *Feb.* 172⅞.

EPIST. XLIV.

HEsterno die, cum valedicerem Celsitudini tuæ, horâ quintâ me certiorem fecisti, te sine morâ petiturum tragœdiam de morte *Julii Cæsaris*, qui occisus fuit in senatu, a *Bruto* aliisque senatoribus. Dic, quæso, an hæc tragœdia magis palato tuo placeat, quàm *Terentii* Comœdia, non Anglicè, sed Latinè pronuntiata a pueris nobilissimis scholæ Westmonasteriensis. Vale. Die 17 *Feb.* 172⅞.

EPIST.

EPIST. XLV.

GAUDEO ex animo, me nugacibus meis, & de lanâ caprinâ literis, provocâsse tandem tuam Celsitudinem ad respondendum manu tuâ, stylo Gallico; quià omnes amici mei uno ore affirmant me esse hominem feliciffimum, qui habeo commercium literarum cum inclyto (& quod caput rei est) cum doctissimo *Gulielmo* Cumberlandiæ Duce, qui multum superat omnes Principes suæ ætatis, in omni doctrinarum genere. Vale. Die 18 *Feb.* 172⅞.

EPIST. XLVI.

REDDITÆ fuerunt mihi humanissimæ tuæ literæ, quibus nihil palato meo poterat esse dulcius vel gratius; quod attinet ad Gallorum pugnam ad mortem usque pugnatam, sic se res habuit; Gallinam in eodem horto nive candidiorem habui; hæc discordiæ semina inter eos sparsit, quemadmodum olim pulcherrima *Helena* causa fuit belli Trojani. Et observes velim, sereniffime Princeps, omnia ferè magna ab initio mundi bella, a fœminis mota fuisse. Vale. Die 19 *Feb.* 172⅞.

EPIST.

EPIST. XLVII.

OPTIME' nosti nullum esse fœdus ineundum sine consensu duorum: ego frustrà laboro, atque ad ravim clamo, nisi tua Celsitudo serlò valedicat omnibus tuis nugis, & intendat animum tuum ad expediendas epistolas *Ciceronis*, ante diem natalem clementissimæ Reginæ; quod ut facias (facies quemadmodum spero) iterum atque iterum te submissè atque peramanter rogo. Vale. Die 26. *Feb.* 172$\frac{3}{8}$.

EPIST. XLVIII.

INFINITA tibi debeo beneficia, plura tamen Celsitudini tuæ debere velim; sed certiorem te facio, nihil hoc tempore matutino petam, nisi id quod nequaquam honestè mihi negare potes, si famæ tuæ consulis; rogaturus etenim te sum iterum atque iterum, ut mentem intendas tuam, quantum poteris maximè, ut rectè interpreteris epistolas tres *Marci Tullii Ciceronis.* Vale. Die 28 *Feb.* 172$\frac{3}{8}$.

EPIST. XLIX.

HIC Mensis Martii dies primus est meis gentilibus Cambrobritannis, totius anni longè felicissimus, quià summâ animi alacritate celebrant hodiè nativita-

tem *Carolinæ* noſtræ, omnium Reginarum ſine dubio optimæ, & colunt memoriam quoque Sancti *Davidis*; qui porro viridi ornatus, in magno bello ſuperabat Anglos: quamobrem populares mei in pretio habent hanc herbam ſemper viridem, ut pulcherrimum animi conſtantis ſignum; contrà Angli in odio habent porrum, neque ejus odorem ferre poſſunt. Vale. Die primo optimo menſis Martii 172⅞.

EPIST. L.

SATIS vidi heſternam diem maximè tibi fuiſſe gratam, & tu facilè intelligere poteras, eandem mihi eſſe dulciſſimam. Precor D. O. Max. ut ſoſpitet clementiſſimam noſtram Reginam per multos continuos annos; & ut primus dies Martii recurrat ſæpiſſimè: quià te certiorem facio, nunquam dabis operam ſtudiis die natali noſtræ Reginæ, & die feſto Sancti *Davidis*. Vale. Die 2 *Martii* 172⅞.

EPIST. LI.

JAM diu nihil ad me dediſti literarum, pro more ſolito, itaque non poſſum non timere, ne forſan, (quod DEUS prohibeat) tabellarius tuus laboret podagrâ; quare ſi me amas, rogo te iterum atque iterum, adhibe alium ſervum bonæ fidei, donec alter tardipes incipiat convaleſcere,

ne

ne cesset tua scriptio epistolica. Vale. Die 6 *Martii* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. LII.

SEPTEM mundi miracula numerabat veneranda antiquitas, quæ ex ordine sic habeto, Pyramides in Ægypto, Labyrinthus Dædali, muri Babylonis, Mausoleum vel sepulchrum Cariæ Regis, Templum *Dianæ* Ephesi, Colossus *Jovis* Olympii in insulâ Rhodo, Templum *Solomonis*. Et nostra tandem ætas peperit octavum. Verbum sat sapienti. Vale. Die 7 *Mar.* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. LIII.

AUDIO plures latrones nequissimos, qui viros bonos de nocte aggrediebantur eos spoliandi causâ, esse captos a lictoribus, & in carceres conjectos; donec suo tempore rapiendi sunt ad furcam. Vale, DEUS nos omnes sospitet a latronibus. Die 9 *Martii* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. LIV.

NUPER me certiorem fecisti tuam Celsitudinem abhorrere ab epistolis longioribus. Esto bono animo, te quæso, in futurum etenim, eâ brevitate, ut nihil brevius

brevius vel compendiosius esse possit. Vale. Die 11. *Martii* $172\frac{7}{8}$.

EPIST. LV.

GAUDEO mirum in modum epistolas Angeli Politiani tibi esse gratas; sunt profectò magnoperè elegantes atque breves; ut non mirer eas esse gustui tuo saccharo atque melle dulciores; *Erasmi* quoque literæ adeò sunt intellectu faciles, & acumine plenæ, ut earum authorem, velis nolis, amare debeas. Vale. Die 12 *Martii* $172\frac{7}{8}$.

EPIST. LVI.

CIVES Attici vel Athenienses, res parvi momenti atque nugas multis verbis exprimere callebant; contrà Lacedæmones vel Lacones maxima negotia, verbo uno vel altero facillimè expediebant; dic, amabo, suavissime Princeps, an vis ut ego stilo Attico utar, vel Laconico? Vale. Die 13 *Martii* $172\frac{7}{8}$.

EPIST. LVII.

RUMOR est sparsus per totam urbem, Principem Frisiæ, brevi tempore in hanc Aulam esse volaturum: Quatuordecim abhinc annos, vidi eum peramanter valedicentem serenissimis tuis *An-*

næ atque *Ameliæ* ſororibus; erat tum trimulus, optimè formatus & bellus, ut nihil formoſius eſſe poſſit; ſereniſſimum hujus patrem multos abhinc annos, Ultrajecti ad Rhenum novi, ibi ſtudiis incumbentem: erat Princeps brachio fortis, & rei militaris peritiſſimus; ſed neſcio quo infelici fato, dum in curru trajiceret aquas, miſerrimè fuit ſuffocatus. Vale. Die 14 *Martii* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. LVIII.

SALVE mi *Gulielme* Dux chariſſime. Vale. Die 15 *Martii* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. LIX.

NOVI Celſitudinem tuam optimum eſſe ſomniorum interpretem; utinam velis interpretari hoc Ænigma. Quod ſic habeto: Pater habet duodecim filios, & quiſque filius habet triginta filias, quæ moriuntur quotidie, & tamen vivunt. Eris mihi *Œdipus*, ſi hæc rectè explicueris. Vale. Die 16 *Martii* 172$\frac{7}{8}$.

EPIST. LX.

ME miſerum! ſtupidus ſum, & ſtupidus ero uſque ad mortem; natus enim fui in libris, nutritus quoque in libris, devoravi multa volumina Græca & Latina

Latina; attamen ut verum fatear, ad hunc uſque diem non novi viginti quatuor literas. Tu ſi noſti hujus animalis nomen, chariſſime Dux, eris mihi non tantum Œdipus ſed etiam magnus Apollo. Vale. Die 18 *Martii* $172\frac{7}{8}$.

EPIST. LXI.

MAGNA laudatio te manet, ſi me docere poſſis, cujus generis eſt hoc animal, dic, quæſo, an eſt bipes, quadrupes, volucris, vel piſcis? Tempore matutino incedit quatuor pedibus, meridiano duobus, veſpertino verum tribus pedibus. En, Dux illuſtriſſime, habes pulcherrimam occaſionem monſtrandi magnum acumen tui ingenii. Vale. Die 20 *Martii* $172\frac{7}{8}$.

EPIST. LXII.

EST proverbium vulgare in ore omnis populi, peſſimum eſſe imperatorem qui ſibi imperare non poteſt, quoniam impoſſibile eſt ʌincat hoſtes multos, qui unum ſuperare non novit: *Alexander* ille magnus, ut armis invictus laudatur; ità irâ victus, culpatur ab omnibus. Gaudeo magnoperè te jam eſſe egregium imperatorem domi tuæ, & ſummâ cum dignitate dominari animi tui affectibus. Vale feliciter. 21 *Martii* $172\frac{7}{8}$.

EPIST. LXIII.

DIC quæso, chariſſime Dux, ſiquid audiviſti, de adverſâ valetudine illuſtriſſimi præſulis Archiepiſcopi Cantuarienſis, quià heri fama tulit eum ceſſaſſe inter vivos; ſed magnoperè ſpero, famam hâc vice eſſe mendacem; valde etenim eſt vir bonus, doctus, tui amantiſſimus, atque dignus (ſi Deo placuerit) ut vivat per multos annos, ad regendam Eccleſiam Anglicanam. Vale. Die 24 *Martii* 172⅛.

C. Plinius Secundus Fabio Juſto ſuo. S.

OLIM nullas mihi epiſtolas mittis. Nihil eſt, (inquis) quod ſcribam. At hoc ipſum ſcribe, nihil eſſe quod ſcribas: vel ſolum illud, unde incipere priores ſolebant, *Si vales, benè eſt: ego valeo*. Hoc mihi ſufficit: eſt enim maximum. Ludere me putas: feriò peto. Fac ſciam quid agas: quod ſine ſolicitudine ſummâ neſcire non poſſum. Vale.

C. P. Tacito ſuo. S.

COmmendas mihi *Julium Naſonem*? *Naſonem* mihi? quid ſi meipſum? fero tamen & ignoſco: eundem enim commodâſſem tibi, ſi te Romæ morante, ipſe abfuiſſem. Habet hoc ſolicitudo, quod omnia

omnia necessaria putat. Tu tamen, censeo, alios roges: ego precum tuarum minister, adjutor ero. Vale.

C. P. Feroci suo. S.

EADEM epistola & studere te, & non studere significat. Ænigmata loquor: ità planè, donec distinctius, quod sentio, enuntiem. Negas enim te studere: sed est tam polita, quæ nisi a studente non potest scribi; aut es tu super omnes beatus, si talia per desidiam & otium perficis. Vale.

Trajanus Plinio. S.

RECTE renuntiasti mihi, Secunde charissime; pertinet enim ad animum meum, quali itinere in provinciam pervenias. Prudenter autem constituis interim navibus, interim vehiculis uti, prout loca suaserint. Vale.

Plinius Trajano Imperatori.

SOlemnia vota pro incolumitate tuâ, quâ publica salus continetur, & suscipimus, domine, pariter & solvimus; precati DEOS ut velint ea semper solvi, semperque signari. Vale.

Tra-

Trajanus Plinio. S.

AGNOSCO vota tua, mi Secunde cariſſime, quibus precaris ut plurimos & feliciſſimos natales, florente ſtatu reipublicæ noſtræ agam. Vale.

M. T. Cicero Terentiæ ſuæ. S. P. D.

SI vales, benè eſt: valeo. Nos quotidiè tabellarios veſtros expectamus, qui ſi venerint, fortaſſè erimus certiores, quid nobis faciendum ſit. Faciemuſque te ſtatim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale.

M. T. Cicero Terentiæ. S. P. D.

SI vales, benè eſt: valeo. Da operam ut convaleſcas; quod opus erit, ut res, tempuſque poſtulat, provideas atque adminiſtres: & ad me de omnibus rebus quàm ſæpiſſimè literas mittas. Vale.

M. T. Cicero Terentiæ. S. P. D.

SI vales, benè eſt: ego valeo. Si quid haberem, quod ad te ſcriberem, facerem, id & pluribus verbis & ſæpius. Nunc quæ ſunt negotia, vides. Ego autem quomodo ſim affectus, ex *Lepta* & *Tre-*

Trebatio poteris cognoſcere. Tu fac, ut tuam & *Tulliæ* valetudinem cures. Vale.

Cicero Baſilio. S. P. D.

TIBI gratulor, mihi gaudeo, te amo, & tua tueor: a te amari, & quid agas, quidque agatur, certior fieri volo. Vale.

Angel. Politian. Jacobo Modeſto ſuo S. D.

DOLES quod non reſcribam: dolere deſine, jam reſcribo. Vale.

A. P. Cuidam. S. D.

NON præſtas quod pollicitus. Conqueror ſi oblitus, magis etiam ſi non oblitus. Oblitum fuiſſe vix amici eſt: non præſtare cum recorderis, prorſus inimici. Vale.

A. P. Pico Mirandulæ. S. D.

QUÆ vellem corrigeres, tu laudas. Hoc verò facilè facis, quod ſemper facis. Vale.

A. P.

A. P. Amico. S. D.

IRASCERIS quod iſte me Simius carpit: non ideò me carpit, ut carpat: ſed ut ſibi victum quærat homo famelicus apud quoſdam, qui multum gaudent aſſentatoribus, plus tamen detractoribus. Vale.

A. P. Amico. S. D.

SI te ob divitias amare cœpiſſem, deſiſſem tibi nunc eſſe amicus, cum tu deſiſti eſſe dives. Verum ſi nunc deſiſſem, ne tum quidem cum fuiſti dives, fuiſſem tibi amicus, ſed adulator: quod eſſe qui poteſt, is eſſe liber non poteſt. Vale.

A. P. Amicis. S. D.

MULTI ſimul epiſtolas poſcitis. Multis ecce mitto, ſed unicam. Convenit unica multis, quos unicè diligo: quæ tamen erit ut multæ, quando multi legetis. Valete.

A. P. Maledicò alicui.

MAledicenti non remaledico, ne maledicere mihi tu forſan, hoc eſt, ne laudare me deſinas. Quis enim laudatur verius, quàm qui maledicitur a malo viro. Te verò appellare malum virum, tantum

a maledicto abeſt, ut nihil poſſit dici melius.

A. P. Laurentio Medici. S. D.

CYGNO Poeta ſimilis; uterque candidus, uterque canorus, uterque fluvios amans, uterque *Phœbo* gratus; ſed negatur canere cygnus, niſi cum *Zephyrus* ſpirat. Quid igitur mirum, ſi taceo tamdiu tuus Poeta, cum tu tamdiu non ſpires meus *Zephyrus*. Vale.

A. P. Pico Mirandulæ. S. D.

VINCEBAR a te prius doctrina, vincebar ingenio; ſed vinci tamen lætabar, atque adeò lætor, quoniam te diligo: quin ob hoc ipſum diligo, quod his vincor. At nunc & humanitate vincis. Hoc equidem ferre nequeo, quoniam turpe: Sed jam fero, nihil enim turpe mihi, quod honeſtum tibi. Vale.

A. P. Amico. S. D.

DOLES quod amicus in diſputatione te vicerim; dolere non debes: nam ſi amicorum omnia ſunt communia, non magis quàm tu victor ego; nec minus quàm tu victus. Sed hoc tu fortaſſè doles, quod hâc amicorum lege, nec planè ſum victor, qui te vici. Vale.

A. P. Amico. S. D.

DOLUI vehementer, lætatus ſum vehementer: quod ægrotâſti, quod & convaluiſti. Vale.

Eraſmus Cuidam. S. D.

QUOD priſtinam meam ſcribendi conſuetudinem intermiſſam miraris, nihil eſt, quod ſuſpiceris mali: neque enim (quod ſemper fui) tui amantiſſimus eſſe deſii. Bene vale.

Fauſtus Eraſmo. S. D.

FRUGALEM omninò mihi cœnam poſtulo: nihil volo præter muſcas, & formicas. Benè vale.

Eraſmus Fauſto ſuo. S. D.

QUÆ, malum, tu mihi objicis ænigmata? Num me *Œdipum* putas, aut *Sphingem* eſſe domi? Quamquam equidem ſomnio, tuas muſcas, aviculas, formicas, cuniculos velle. Verum alias jocabimur; nunc cœna emenda eſt: quare ænigmatiſtes eſſe deſinas oportet. Vale.

Fauſtus

Fauſtus Eraſmo. S. D.

NUNC planè intelligo te *Œdipum* eſſe: nihil volo præter aviculas, & quidem parvulas: de cuniculis abſit. Vale, optime ænigmatum interpres.

Eraſmus Batto ſuo. S. D.

VIDE quantum maledicendo valeas. Unicâ tantum epiſtolâ victus, do manus, arenâ cedo, in Angliam uſque perfugio. Hic certè a tuis conviciis, tutum me fore confido; nam ſi me perſequi voles, alter tibi adeundus eſſet orbis: & pigritiam probè novi tuam, qui tametſi mediis in fluctibus es natus, nihil tamen pejus odiſti fluctibus. Quod ſi huc quoque tuæ conviciatrices epiſtolæ penetrabunt, audio in ultimâ Britanniâ Orcades eſſe inſulas; in has aufugiam, etiam ſi quid eſt Orcadibus remotius, vel ad Antipodes uſque. I nunc, & de glorioſâ victoriâ, magnificum triumphum agito. Bene vale.

E. Paludano ſuo. S. D.

MITTO Epitaphium, ne uſquam non obſequar Paludano: ſi diſplicebit, quod ſcio fore, cogita ſcriptum a theologo, cui generi ſcis quàm iniquæ ſunt Muſæ. Bene vale.

E. Andreæ Hoochstrato. S. D.

DEFLEXI non nihil ab itinere meo, ut & te veterem amicum meum viderem, & urbis tàm celebris conspectu fruerer; verùm utrumque frustrà, malo quodam meo fato. Nam & tu aberas, & urbs ità placuit, ut a nullâ unquam discesserim lubentius. Bene vale.

Petrus Bembus, nomine Leonis decimi Pontificis, Leonardo Lauredano Venetorum Principi. S. D.

JUSSIMUS interpretem apud te remque publicam tuam, esse nostrum *Petrum Bibienam*, cum prudentiâ & rerum gerendarum usu præditum hominem, tum imprimis nobis probatum & gratum: scripsimusque ad illum eâ de re. Quamobrem abs te petimus, ut omnibus in rebus, quas is nostro nomine ad te perferet, eandem illi fidem habeas, quam haberes nobis ipsis, si te coram alloqueremur. Vale.

P. B. Sigusmundo Gonzagæ Cardinali. S. D.

CAROLUM Orpheum, unum ex iis qui mihi sunt carissimi, hominem plurimis virtutibus præditum, proficiscentem ad te, commendo tibi majorem in modum;

modum: porro mihi gratiſſimum feceris, ſi eum ità ſuſcipies tractabiſque, ut intelligat ſe, quoniam a me diligitur, abs te amari. Vale.

P. B. Herculi Storio. S. P. D.

AVIAS ambas meas, effœtas deploratasque fœminas, & tam prope centum annorum mulieres, mihi fata reliquerunt; unicum fratrem meum, juvenem atque florentem abſtulerunt, ſpem & ſolatia mea. Quamobrem quo in mœrore ſum, ipſe facilè potes exiſtimare. Reliqua ex meis intelliges. Heu me miſerum! Vale.

Jacobus Sadoletus Anton. Perrenoto Epiſcopo Atrebatenſi. S. D.

CUM ſcriberem ad patrem tuum clariſſimum virum, mandavi tabellario, ut meis verbis tecum accuratius loqueretur. Ego, quod at me attinet, amorem eum conſervo, quem ab eo congreſſu, quo ad Nicæam primum unà fuimus, erga te ſuſcepi. Tu ſi pari erga me voluntate fueris, non ſolùm meæ expectationi ſatiſfacies, ſed humanitati etiam conſtabis tuæ. Vale.

Paulus

Paulus Manutius Seb. Leoni Cordubensi.
S. D.

NICOLAUS *Nathanaëlus*, egregiè moratus adolescens, magnos in Latinis literis progressus a discessu tuo fecit: is cum mihi per se carus est, tum eo magis, quod de te sæpe loquitur amantissimè, tuamque erga se patremque suum, insigni probitate atque doctrinæ virum, perpetuam benignitatem sic in ore habet, ut ejus memoriam nunquam sinat intermitti. Vale.

Petrus Bunellus Lazaro Baysio. S.

QUI has tibi reddet, vir probus est, & bene doctus, mihique amicissimus: habet isthic non nihil negotii, quod quale sit, ab eo, si placet, intelligas: atque ad id explicandum, auctoritate tuâ, quantum poteris, non solum propter æquitatem causæ, sed meâ etiam causâ libentiùs adjuvabis. Hoc te vehementer rogo. Vale.

M. Antoninus Muretus A. Repario suo.
S. P. D.

ACCEPI ternas tuas literas: in postremis autem quædam erant ità negligenter scripta, ut facilè constaret, a-

liud egiſſe te, cum illa ſcriberes; oſtendam ea tibi, cum iſthuc venero, & auriculam pervellam tibi; ut poſtea in ſcribendo attentior ſis, & ſaltem eos ſolœciſmos effugias, quos effugerent etiam pueruli, qui primis literis imbuuntur. Noli tamen ex hâc meâ admonitione moleſtiam ullam capere. Non enim propterea volo quidquam de tuâ hilaritate detrahi, ſed ad diligentiam addi. Vale.

Juſtus Lipſius Joſepho Scaligero. S. D.

ABIT iſte ad te, & vult commendari. Ecce breviter & verè. Amat literas, ut qui maximè; amat te, ut in iis maximum. Inſpice & noſce, redamabis.

J. L. Gulielmo Camdeno. S.

MUNUS a te accepi, vir ornatiſſime, per mihi gratum Britanniam tuam: quam illuſtrâſti ingenii & induſtriæ clarâ face. Multum patria tibi debet: multum exteri nos, qui per te pulcherrimam inſulam videmus, etiam cum non videmus. Perge in hoc & ſimili ſtudiorum genere, quod abeſſe non poteſt quin tibi famam, poſteris æternum ferat fructum. Vale.

Elyſius

Elysius Calentius, Colotio. S, D.

COLOTI si me amas, utere: si non uteris illud in argumento est non amabis: Vive.

E. Calentius Opiliano. S. D.

MEministi unquam, procellose in mare navem diu jactari, atque ab littore pelli: mox peractâ ventorum vi, subito in portum labi. Sic, *Opiliane*, sunt, qui reges sequuntur. Spera & vale.

E. Calentius Hiaraco. S. D.

JUBET Rex, quamprimum ad se venias, causam itineris non intelligo, nisi id sit, quo filii a patribus vocari consueverunt. Spero fore, ut ditior ac melior revertare. Veni & vale.

E. Calentius Hiaraco. S. D.

CAVE quicquam, *Hiarace*, dixeris unquam aut feceris, quod si opus sit, nequeas ratione defendere. Illud enim pulcherrimum est in vitâ, & quod dicas rectè scire, & quod agas non ignorare. Vive.

E.

E. Calentius Hieracolotio. S. D.

ARMATUM videre *Forbidnum* quis possit pati, equo insidentem feroci, hastam cruri admoventem, veluti cum hoste congressurum? Papæ totus in auro est, totus fremens, totus ferox, terribilis, ni medio cursu ad terram corruisset! Vides?

E. Calentius Hiaroco. S. D.

SI me lapidem natura fecisset, aut truncum, neque cuperem aliquid, neque quicquam, *Hiarace*, postularem: verum quia hominem genuit, quæ sint hominis, quærere haud injuria est: quam ob rem id dictum sit, potes intelligere. Domum Tarenti non habeo, neque vineas neque agros: si dederis, facies humanissimè. Quod si tacuero maximè, id me maximè postulare intelligas. Vale.

E. Calentius Solimeno. S. D.

CRAS te mihi adesse cupio, *Solimene*; languentem ut cures. Aut cessa, aut propera. Quod si cessaris, scito tibi *Calentium* defuturum. Vola & vale.

Calentius Hiaraco. S. D.

GRATIAS tibi pro donata cane me habiturum ne credas, *Hiarace:* utilius exiſtimarem, ſi bovem aut aſinum, qui rei adderet, donaviſſes. Vale.

E. Calentius Hiaraco. S. D.

QUOD me ames, *Hiarace*, quod laudes palam, & quod nihil des, grato principi non conveniunt. Vive & vale.

Gilberti Cognati Eraſmo Roterodamo. S.

TUA, unicum ſtudiorum decus *Eraſme* clariſſime, apud principem noſtrum commendatio, plurimum mihi & ornamenti & emolumenti attulit. Hic Academiam planè quandam inſtituere conſilium eſt. Sed O utinam te hic haberemus, ut unà philoſopharemur. Cætera coram. Bene vale, clariſſime *Eraſme*, Patrone incomparabilis.

G. C. Jacobo Parco. S.

SI tibi, vir amice, res ſunt ex ſententiâ, majorem in modum gaudeo. Sin minus, tantò magis erigendus eſt animus, quantò magis premit fortuna. Cura ut valeas: bonâ enim tuâ valetudine nihil nobis

bis jucundius, nihilve gratius annuntiari poteſt.

G. C. Sigiſmundo Gelenio. S.

ACCEPI literas tuas parum lætas. Sed tu fac ſis animo philoſophico; & homo natus, caſus humanos moderatè ferto. Vale.

G. C. Simeoni Verono. S.

COnſilium tuum de adeundâ Italiâ, vehementer probo: quod ut tibi bene vertat precor. Tu quod facis, magno animo in literas incumbe. Incredibilis enim eſt tuorum omnium de te expectatio: quam ne fallas curabis. Vale feliciter.

G. C. Henrico Colinæo. S.

IN me, clariſſime vir, rogo ut tui ſimilis eſſe pergas. Nihil addam huic petitioni, in quæ ſunt omnia. Bene vale, *Colinæe* clariſſime, noſtræ regionis decus.

G. C. Georgio Guoto. S.

DE ſcribendi ceſſatione me ſine culpâ accuſari gaudeo. Hic primus eſt oblatus, cui literas committerem. De parentum

rentum negotiis tu memorem mones. Itâ enim mihi curæ sunt, ut nec tibi quidem ipsi solicitudine diligentiâque concedam. Cave putes te a patriâ abesse, dum ego adero. Vale.

G. C. Antonio Lullo. S.

Singularem quandam animi in me tui benevolentiam multis sic perspectam habebam, vir doctissime, ut nullo testimonio fuerit opus. Mihi tamen gratissima fuit tua epistola, undique spirans veterem illum tuum erga me favorem. Utinam sit quo nomen ingrati liceat effugere. Cura, mi *Lulli*, ut quàm rectissimè valeas, si nos valere cupis.

G. C. Laurentio Privæo. S..

LIBEBAT, atque decebat, vir optime atque doctissime, tibi pluribus verbis pro sale ad me misso, gratias agere; sed prandens admonitus sum, ut illicò pararem literas. Pleno stomacho scribere, mihi tuum non est. Scribam brevi copiosius, & accuratius. Bene vale, amice singularis.

G. C.

G. C. Jacobo Parco. S.

QUOD audaciam meam in optimam partem interpretaris, mi *Parce*, lubens agnoſco tuam humanitatem. Sed cave per gratias ne tandem tribuas meo judicio, quantum te ſcribis tribuere: quin potius *Horatianum* illud hic locum habeat: *Cæcus uti ſi monſtret iter, tamen aſpice.* Vale, optime *Parce*, & me hoc quo cœpiſti animo & amore proſequere.

G. C. Henrico Morello. S.

NON damno, quod extremæ ſenectuti reponis luculentum viaticum. Nihil enim miſerius ſene egeno. Habere divitias ſine fraude partas, non eſt crimen; ſed amare pecuniam, & (ut ſapiens Hebræus loquitur) cor apponere, eſt peccatum. Vale.

G. C. Stephano Fauchio. S.

N*ICOLAI* fratris tui cauſam doleo: ſed ſubiraſcor, quod toties negligit valetudinem ſuam, quum eo theſauro nihil ſit pretioſius. Si quid ſciero, in quo poſſim vobis gratificari, reperietis voluntatem paratiſſimam. Cura, mi domine, valetudinem, cura quæſo: & ſic exiſtimes, nihil tuâ valetudine firmiore gratius adnuntiari poſſe: nihil æquè jucundum, atque ſi Dominum

minum *Nicolaum*, fratrem tuum, convaluiſſe intellexero. Iterum vale.

G. C. Martino Borrhao. S.

CONSILIUM tuum, mi *Borrhae*, vehementer probo, qui tricis hujuſmodi nolis involvi. Hoc ſeculum plenum eſt Ardelionibus iſtiuſmodi, qui nihil habent penſi quid in quem ſcribant, modo innoteſcant. Vale.

G. C. Johanni Gaſtio. S.

HABEO gratiam, mi *Gaſti*, pro literis mihi tranſmiſſis per hunc veredarium. Si quod officium viciſſim præſtare queam, impera: id tuo jure facies. Vale, & me quod facis ama.

G. C. Claudio Leſmæo. S.

DOLEO te decumbere: ſed ſpero fore brevi ut exilias. Hoc ubi factum fuerit, objurgabo te, quòd non habeas majorem valetudinis tuæ rationem: toties tuo admonitus malo, cura ut convaleſcas.

G. C.

G. C. Mathæo Junio. S.

FUCATUS ille de quo ſcribis, ſic in me furit, ac ſi decem dæmones haberet in pectore. Aſſuetus ego monſtris, in tale monſtrum hactenus incidi nunquam. Vale ut cupio.

G. C. Sileno Rutio. S.

QUOD ſcribis de pietate tuâ non ſatis intelligo: quæ mihi nunquam fuit ſuſpecta, ſed alii mihi interdum objiciunt argumenta quædam, quæ invitus audio. Ea literis non expedit committere. Vale ut cupio.

G. C. Johanni Vemodo. S.

VErſaris iſthic in arce literarum & eloquentiæ; & tamen oratio tua Latina nihilo politior eſt quàm ſolet: & Græcè mendoſiſſimè ſcribis. Quæ res indicat, te nec in Latinis, nec in Græcis authoribus verſari ſeriò. Admonitiunculas meas boni conſule. Vale.

G. C. Gulielmo Clereval. S.

GRATUM eſt, quod *Gulielmo Moyro* celeriter reddideris literas meas, placavi

cavi eum literis: non erit posthac molestus. Dominus te incolumem diû servet. Valeto.

G. C. Petro Putodo. S.

HOC velim scias, naturam non plus ingenii filio tuo largitam esse, quàm tibi: & ferè inanem esse doctrinam, naturâ non suffragante. Vale.

Johannes Just. Cretensis Amico studia detrectanti, & scire cupienti.

SCIRE cupis: ea vero per quæ ad scientiam pervenitur, facere negligis. Multi sunt in eâdem sententiâ. Etenim nemo est quin vellet multa didicisse, quum haud ità multos invenias, qui velint discere. Quid ità? nempe quià suavius est uvam de vite ungue decerpere, mustum de lacu gustare, quàm vineta fodere, aut arare. Sed nihil magnum sine labore Dii dedere mortalibus. Et virtutis planta sudore est riganda: cujus quidem radices cum sint amaræ, fructus dulcissimi esse perhibentur. Vale.

J. J. Adolescentem ad virtutem hortatur.

JAM quando decurso spatio pueritiæ, ad bivium literæ y, quam dicunt *Pithagoræ*, pervenisti: videndum tibi etiàm atque etiam est, quorsum deflectas.

Angusta quidem & ardua est via quæ ducit ad honores, & pauci eam ingrediuntur; porrò quæ ad nequitiam vergit & vitæ dedecus, latissima est, sed tandem præceps fertur: facilis enim descensus Averni. Vale.

J. J. Eidem. S.

TIBI nunc primum iter virtutis ingredienti, tria potissimum obstacula sunt amolienda: gula, libido, somnolentia. Quod vir omni laude superior *Hermolaus Barbarus* mirificè uno comprehendit versiculo, *Venter, pluma, Venus, laudem fugienda sequenti.* Vale.

J. J. Juveni Temerario. S.

QUOD tantum facinus aggredi paras, majoraque viribus tuis audes, *Phaethontis* casum facito ut memineris, qui sanum patris consilium negligens, infelici lapsu, magnâ cum suâ multorumque calamitate docuit, quàm præceps audaxque consilium sit pertimescendum. Vale.

J. J. Adulatori. S.

PRAESENTI blandiris, absenti detrahis. Dextrâ lapidem geris, panem ostentas alterâ. At tu malus es, aut me fatuum existimas. Verum illud tibi per-

ſuade, te jam nemini poſſe imponere, quià omnibus notus es. Me quidem certè ſi fallis, non fallis; ſi non fallis, fallis. Ænigma, dices, nempe *Sphingi.* Vale, ut mereris.

J. J. Amico, ne præbeat aures aſſentatoribus.

SI tàm bonus ac ſapiens eſſes, quàm haberi cupis, minus famæ ſtuderes quàm conſcientiæ. Nunc dum adulatoribus delectaris, id agis, ut & ipſi per te nequiores fiant: & tu per eos deterior ac ſtultior: aut igitur te ipſum conſule, aut vale.

J. J. Amico, ne fidat palponibus.

ASſentatoribus delectaris, eoſque ad te admittis, recta vero ſuadentes adverſaris ac refugis. Iſtud perinde eſt, ac ſi quis philtra, aut venena propinantem amplexetur: antidotum vero, aut medicinam adhibentem, explodat atque averſetur. Vale.

J. J. Amico ſanum conſilium petenti. S.

VIN' tu & ſapiens & bonus, & haberi & eſſe? Non quod paſſim fieri vides, ſed quod fieri decet, id facias: neque vulgi opinionem tu ſequere, citra delectum,

delectum, sed quod ratio præscribit, quod jus fasque exigit, id demum facito: & vir sapiens ac bonus eris. Vale.

J. J. Eidem serius consilium quærenti.

NAVIM conscensurus, debueras de navigando expertos navigationis consulere: nunc te, oblatâ puppi, ad terram respectantem consilium eâ de re quærere, serum est atque importunum. Re integrâ locus est consilio: consummatâ, pœnitentiæ. Vale.

J. J. Amico de ducendâ uxore. S.

DE ducendâ uxore maturè consulis. Rectè tu quidem istud, ut omnia; est enim in eo diu deliberandum, quod semel factum, infectum fieri non potest. Cæterum ducenda sit uxor tibi nec ne, id potius erit consilii tui, quàm vel mei, vel alterius cujusquam; & in eâ deligendâ, oculis pro auribus, auribus autem pro oculis utere. Vale.

J. J. Marito in uxorem asperiori. S.

QUID ego de te audio? An tu propterea duxisti uxorem, ut ipsi carnificinam, tibi supplicium parares? utrique vero crucem figeres? An tu putas, quod vocibus intonas, quod frendes dentibus,

quod manu ſævis, propterea illam tibi obſequentem magis, teque illi chariorem fore? Non eſt diuturnus officii cuſtos metus. Duæ ſunt virtutes præcipuæ in conjugatâ: amor in virum, & pudicitia; cum his incommoda omnia ferri poſſunt: ſine his nullum eſt commodum, omnia miſera & infelicia. Porrò amore, commodâ tractatione, officiis elicitur, non malefactis. Amorem ſequitur cura rei familiaris, & pudicitia. Denique illud ſic habeto: quod incommodis uxoribus utimur, noſtro plerumque fieri vitio, non culpâ uxorum. Vale.

J. J. Adultero uxorem caſtiganti.

CUM tu aſſiduè ſcorteris, abnoctes, pergræceris, nulli Veneri parcas, nullo genere libidinis aut impuritatis abſtineas: ab uxore pudicitiam requiris? Scito, aut tibi abſtinendum eſſe, aut illi ignoſcendum: aut certè in aliquam calamitatem vel alteri veſtrum, vel, quod poclivius eſt, utrique poſtremo incidendum. Vale.

J. J. Superbo potenti.

PUTAS, quià te homines timent, te aliis eſſe præſtabiliorem? longè falleris. Ità enim & feræ, & cacodæmones, te multo eſſent præſtantiores. Itaque tibi tanquam ex *Apollinis* tripode illud dictum

puta:

puta: carum esse civem, benè de Republica mereri, laudari, coli, diligi gloriosum est: metui vero, & in odio esse; infirmum, detestabile, imbecillum, caducum. Vale.

J. J. Superbo ignobili, & obscuro.

VIDEO te superbiorem factum nullâ re magis, quàm incogitantiâ. Nam si in te ipsum descenderes, & quis, & undenam esses considerares: haud aliter cristas demitteres, quàm gallus devictus. Hoc igitur fac, & vives. Vale.

J. J. Nobili insolenti.

PUTAS, ob divitias & nobilitatem tibi omnia licere. At ego illud Comicum tibi etiam atque etiam considerandum puto. *Quàm vos facillimè agitis, quàm estis maximè potentes, dites, fortunati, nobiles: tàm maximè vos æquo animo æqua noscere oportet, si vos vultis perhiberi probos.* Vale.

J. J. Avaro odioso.

QUERERIS, quod nemo te amet, nemo salvum velit: omnes interitum tuum cupiant, mortem expetant, exitium imprecentur. Quid hoc mirum? Quid enim aliud facit avarus dives, dum vivet, nisi

nisi hoc unum: ut omnes illum mortuum malint, quam vivum? hoc certè habes commune cum sue: cujus usus nullus est nisi extincti. Ad eliciendum amorem una est via, ut ames. Miraris igitur,

——— *Quum tu argento post omnia ponas,*
Si nemo præstet quem non merearis amorem?

Vale.

J. J. Avaro expilatori.

QUIRITARIS, clamas, vociferaris, cœlum terræ misces, quod sis expilatus. Quid refert, habeas, nec ne, rem, cujus vel possessa, vel amissa, idem est usus? Claude capsas, occlude ostia, signa loculos carbone, aut cinere oppletos: ac tecum reputa, ære, argento, auro plenos esse: & nihil amiseris. Vale.

J. J. Detractatori.

AUDIO te in existimationem meam passim debacchari. Si id merito meo facis, irasci tibi non debeo: sed mihi potius, qui tibi occasionem præbuerim in me invehendi. Sin animi vitio inservis: mihi mea satis est innocentia, te tui mores probè ulciscentur, qui quidem abundè pœnarum de te mihi dabunt: quod tamen ut cupiam, Dii prohibeant. Vale.

J. J.

J. J. Seipſum nimium amanti.

QUOD teipſum amas, minimè id quidem miror. Eſt enim omnibus a naturâ inditus amor ſuiipſius: ut videlicet quiſque ſeſe, corpuſque tueatur. At vero, quod tam tenere te amas unum, ut reliquos omnes negligas: id planè eſt te ipſum odiſſe. Nam qui neminem diligit, hoc agit ut a nemine diligatur: quod qui facit, eſt ſuimet prorſus inimicus, ac proinde ſtultus. Vale, & ſape.

F. P. Gabrieli Mauro. S.

QUOD ſcire a me vis, quot fuerint amicorum paria, priſcorum memoriâ maximè celebrata, ea reperio quatuor numero extitiſſe. *Theſeum* & *Perithoum*, *Achillem* & *Patroclum*. *Oreſtem* & *Pyladen*. *Pytiam* & *Damona*. Addunt etiam juniores apud Græcos *Epaminondam* & *Pelopidam*. Vale.

F. P. Leonardo Juſtiniano. S.

QUOD me hortaris ne properem, neque deſperem, fore enim ut melius mihi Venetiis quam uſquam gentium conſulatur: hortaris tu quidem rectè, modo non ſit precio ſpes emenda. Quare ſi ità certi quicquam intra conſtitutum tem-

pus allatum fuerit, ut intelligam non esse diutius mihi arandum litus, sequar consilium tuum, vel in hoc vitæ discrimine. Si aliud nihil quam verba animadvertero, faciam, ut scripsi ad te antea. Meque aut ad Bononienses recipiam, aut ad Florentinos. Vale.

F. P. Leonardo Justiniano.

JOANNES *Corbicius*, mercator Florentinus, meo nomine, te adibit, ut meos sibi des ad me libros, unà cum rebus omnibus, quas deposui apud te. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Nam his diutius carere non possum. Vale.

F. P. Joanni Aurispæ. S.

ADmonitionem tuam libenter admitto, ac probo. Idem etiam ex aliis audivi. Si res, ut cœpit, prosperè successerit, nusquam hinc movebo pedem. Sin aliter acciderit, pro tempore navigabo. Nam nescio quid monstri inter hos inter se cives latere audio. Quod ne quid pariat magnæ calamitatis, non possum non vereri. Ego autem in omnem fortunam paratus sum. Vale.

F. P.

F. P. Thomæ Sarzanensi. S.

EGO, mi *Thoma* dilectissime, sum Florentinæ reipublicæ jam obstrictus annuo munere. Itaque aliam nullam conditionem possum amplecti: quid enim dedecorosius, quàm vel esse vel haberi levem? Nam fidem minus servare hominis est, non injusti solum, sed impii. At scio non modò Reverendissimus pater Cardinalis tuus id ab me factum iri nollet, sed nec etiam tu, qui speculum es imagoque & probitatis & gravitatis. Vale.

F. P. Francisco Barbaro. S.

NOSTI jampridem, quantâ mecum familiaritate, atque benevolentiâ junctus est *Antonius Capanorensis.* Qui quanquam suâ probitate & innocentiâ, tibi debeat esse carissimus; tamen, ut meâ etiam causâ, aliquid cumuli accedat ad pristinam tuam in eum benignitatem, te etiam, atque etiam, rogo. Vale.

F. P. Joanni Aurispæ. S.

MIHI *Polluce* meo vehementer est opus. Itaque rogo te, ut eum ad me ire quamprimum cures. Nam illum tibi tantisper usui dedi, donec abs te repe-

terem. Quare fac ne secundum, hâc de re, ad te scribam. Vale.

F. P. Ambrosio Monacho. S.

LITERÆ mihi tuæ semper gratissimæ fuerint: & in præsentia, quam antea longè gratiores. Indicant enim dilucidè, ab quibus mihi cavendum sit. Verum utar equidem more meo, ut & nemini noceam, & lacessitus injuriâ, me virum esse meminerim. Vale.

F. P. Petro Perleoni. S.

SILENTIUM tuum, tam diuturnum, tamque inusitatum, suspicionem mihi affert, nescio quam; itaque si tibi benè est, ut & opto, & volo; scribe ad me quamprimum, quo tecum unà gaudeam. Sin secus est, id quod minimè omnium velim, scribe etiam mihi, quo tibi consilio saltem prodesse possim. Vale.

F. P. Ambrosio Monacho. S. D.

PAUCIS respondebo tuæ prolixiori epistolæ. Ego amicitiam *Cosmi Medicis* nolo, inimicitias contemno. Nam & infensi animi simulata benevolentia nihil est perniciosius, & ego ità prudentiæ armis munivi me, ut nullas insidias pertimescam. Vale.

F. P.

F. P. Leonardo Arretino. S.

QUICQUID *Saxolus Pratensis* auditor noster, verbis tibi meis exposuerit, sic habeto, ac si coram ipse tecum loquerer. Nihil est enim dicturus tibi, quod ab me non dicendum acceperit. Vale.

F. P. Leonardo Justiniano. S.

IGNOSCE brevitati literarum mearum. Nam repentina tabellarii abitio, non est passa, ut tecum longior fuerim. Quod autem ad rem attinet, ut vera tibi renunciata sunt de meâ, ad *Philippum* ducem, abitione. Non enim Senæ, sine periculo, esse possum, propter sicarios Florentinos qui, nullâ meâ culpâ, meæ vitæ insidiantur. Verum anteà quàm proficiscar *Mediolanum*, sum Bononiæ complusculos menses acturus. Inde ad te dabo, & crebriores, & longiores literas. Vale.

F. P. Aloysio Crotto. S.

QUOD diutius hic sum, eo serius ad vos redibo. Itaque rogo te, ut ab humanissimo nostro principe mihi facultatem abeundi exores. Nam & hic a me agitur nihil, & familia mea, me absente,

non poteſt Bononiæ non agere incommodè. Vale.

F. P. Catoni Sacco Jureconſulto. S.

INſtitueram hodiè redire ad vos: ſed juſſu principis, ante diem tertium, hinc movere pedem non licet. Itaque monebis uxorem *Chryſolorinam*, nequid miretur, turbeturve quod minus, ad diem conſtitutum, iſtuc reverterim. Principi enim parendum eſt. Vale.

F. P. Antonio Panhormitæ. S.

JAM ditior factus es, id quod conjecturâ aſſequor: quod te ſuperbiæ obnoxium facias. Nam dum nihil reſpondes, homini amiciſſimo, tot a me literis invitatus, quid aliud eſſe rear in eâ, quàm ſuperbiam? At ne illud te lateat, velim, in quo plus eſt fortunæ, in eo minus eſſe virtutis. Quare tibi cavendum eſt, ne dum pecuniis diligentius invigilas, negligentiorem te præſtes circa ingenii probitatiſque præſtantiam. Vale.

F. P. Alberto Zancario. S.

QUOD pluribus hortaris, libenter agerem, ſi liceret. Sed nihil apud me licet, quod honeſtati adverſetur, Plurima ſunt & maxima hujus in me principis beficia.

ficia. Itaque nunquam patiar me ingratitudinis accuſari. Præterea non eſt conſtantis & gravis viri, quotidiè mutare ſedes. Vale.

F. P. Joanni Auriſpæ. S.

ET ipſe bene habeo, & te, ex literis tuis, bene valere audio. Itaque utrique noſtrum, & gratulandum juxta, & lætandum eſt. Id quod, ut quam diutiſſimè fieri liceat, vehementer opto. Vale.

F. P. Bornio Salæ Jureconſulto. S.

PERJUCUNDÆ fuerint mihi literæ tuæ, vel perbreves; fuiſſentque longè jucundiores, ſi Atticum te, quàm Laconicum, maluiſſes. Cæterum ne ſis me quoque brevitate ipſâ, ſuperior. Vale.

F. P. Petro Candido, Leuco Decembri. S.

INTER maxima, innumerabiliaque mala, quæ triſtis invidia præ ſe fert, id eſſe boni animadverto: quod nemini magis nocet, quàm ſibi. Itaque tuâ te torqueri inſaniâ non moleſtè fero. Vale, & aliquanto reſipiſce.

F. P.

F. P. Augustino Dato. S.

ACCIPIES ex *Galeacio* isto Cremensi, qui meas pertulit ad te literas, quæ velim abs te curatum iri: non enim ignoras, quantum discipuli præceptoribus debent, quos non secùs ac parentes, colere, venerarique, oporteat. Quod quum minimè ignoras, tecum longior esse nolui. Vale.

F. P. Albertho Zancario. S.

QUID tibi respondeam, haud scio; nec ausim afferre, siquid etiam sciam. In Scylleo æstu navigamus: nisi Deus aliquis opportunè reflaverit, ultimum naufragium patiemur. Vale.

F. P. Joanni Aurispæ. S.

QUID superbiæ me accusas, quod tibi respondeam nihil? Quasi ea sint tempora, ut cuique liceat loqui quod sentit? Itaque malo abs te superbiæ accusari, quàm stultitiæ. Non sum enim usque adeò obtusioribus sensibus, ut quid me deceat aut dedeceat, non intelligam. Te igitur rogo, æquo animo feras silentium meum; nam cum licuerit, te obtundam prolixitate orationis. Vale.

F. P.

F. P. Blaſio Axeretenſi, Mediolanenſium Prætori. S.

VENIREM ad te quotidiè, niſi me id facere prohiberet gladiorum metus, quibus aſſiduè video urbem univerſam coruſcari. Nam in armorum fragore, ut ſcis, verba legum exaudiri non ſolent. Itaque patere, obſecro, me tantiſper habere ſalutis meæ rationem, donec alicunde lætior dies illuxerit. Vale.

F. P. Blaſio Axeretenſi, Mediolanenſium Prætori. S.

VERSARI video arma undique. Quid tantus tumultus ſibi velit, nondum ſatis intelligo. Tu ſi quid habes, quod me ſcire oporteat, fac ut quamprimum intelligam. Nam animus præſagit, neſcio quid. DEUS benè vertat. Ego me intereà domi contineo. Vale.

F. P. Franciſco Barbaro.

VELLEM, eam mihi fortunam DEUS optimus maximus tribuiſſet, ut & mihi poſſem, & amicis ſemper gratificari. Non enim libros meos abs te peterem. Sed quoniam illis carere non poſſum rogo, ut reſtituere jam incipias. Vale.

F. P.

F. P. Petro Thomaſio, Philoſopho, ac Medico. S.

DESIDERAVI jamdiu literas tuas, rurſuſque deſidero. Itaque ſi me amas, id quod eſt mihi clarius luce, noli committere, ut te vel negligentiæ nomine, vel oblivionis crimine accuſem. Vale.

F. P. Baptiſtæ Sachaccæ, Barocio. S.

ITA velim officio tuo uti, ut id mihi commodo ſit, non incommodo. Quare ne mihi longiùs verba des, huic nuncio, & epiſtolarum codicem, & *Ariſtotelis* particulam, ad me dato. Vale.

F. P. Sphortiæ Secundo. S.

PETO abs te in majorem modum, ut quod & mihi coram recepiſti, & ex proximis meis literis audire potuiſti, id apud patrem tuum præſtantiſſimum, & munificentiſſimum principem, quamprimùm, & quàm optimè, conficias. Hâc mihi re, neque gratius quicquam, neque magis neceſſarium præſtare potes. Vale.

F. P.

F. P. Jacobo Camerinati. S.

ILLIS *M. Tullii Ciceronis* orationibus, quas a me commodato accepisti, ut jam cupio. Itaque eas velim propediem ad me des. Nam jamdiu tuo hospitio usæ sunt. Quare facito domum repetant. Vereor enim ne dominum sint oblitæ. Quod si tardarint, extrude. Vale.

F. P. Petro Thomasio, Medico.

JAM quartum ad te scripseram, posteaquam nullæ mihi redditæ sunt literæ tuæ. Posteà verò nihil accidit, quod tua interesse arbitrarer, præter incredibile desiderium meum visendi tui, quod indies, magis, magisque augescit. Hoc autem me levare tui est officii. Vale.

F. P. Scevæ Corti, Jurisconsulto, & Equiti Aurato. S.

A*MBROSIUS* gentilis Derthonensis, necessarius tuus, ut ipse ait, multis mihi in rebus molestus est: hunc igitur velim moneas, ne sit adversus me importunior. Nam mihi jam bilem movet. Vale.

F. P. Nicolao Varoni. S.

JAMDIU nihil te audio; itaque non possum non timere, nequid tibi, quod nolim, acciderit. Quare, si me amas, leva me hâc omni solicitudine. Hoc mihi vix facere gratius, hoc tempore, quicquam potes. Vale.

F. P. Joanni Aurispæ. S.

ÆQUE mihi amicus est, qui tibi meas reddidit literas, atque tibi, qui eas scripsit: itaque hunc etiam, meâ causâ, in amicitiam volo admittas, & quibus erit opus, studiis omnibus prosequaris. Vale.

F. P. Marchesio Varisino. S.

MARIUS ac *Xenophon*, filii, fecerunt me suis literis certiorem, quam secum perhumaniter & perbenignè te geras. Quod etsi mihi dubium non erat, tamen id etiam, eorum literis, audisse jucundissimum fuit. Hos ut tibi commendem opus non est: scio enim quàm mea omnia tibi sunt carissima. Intelligere autem ex te cupio, num istic *Mario* quicquam sperandum sit. Est enim; disertus, & doctus egregiè. Commendo etiam tibi *Griphum* nostrum. Vale.

F. P.

F. P. Joannino Barbato. S.

QUANTUM videre videor ridiculo tibi sum. Nam meos carminum libros toties repetitos, restituere mihi negligis. At ego mihi verba dari longius certè non patiar. Turpissimum enim est *Franciscum Philelfum*, imberbem duci, a *Joannino Barbato*. Itaque aut rem mihi meam restitue quamprimum, aut, ubi ità malis, tibi litem apud principem paratam esse intellige. Nam qui alios ridere nunquam consuevi, rideri abs te nolo. Vale.

F. P. Georgio Alexandrino. S.

TUUM opusculum in *Virgilium*, & vidi libenter, & lectitavi libentissimè. Sumque tuo ingenio, atque diligentiâ mirificè delectatus. Quæ vero excogitata scriptaque a te sunt, non potui equidem non probare plurimum. Quam ipsam ob rem sum de te, apud præstantissimum principem, eundemque eruditissimum, *Lodovicum Gonzagam*, honorificè locutus. Reliqua autem ut te cupere intelligebam, curavi diligenter omnia. Vale.

F. P. Joannino Barbato. S.

PUTABAM fore, ut tandem aliquando resipiscere. Sed incurabilis est morbus tuus, *Barbate.* Ob idque nunquam desinis malefacere. Tibi manus rapacissimæ sunt, aviditasque inaudita. Quid tibi usurpas, homo stultissime, *Cornelium Tacitum* nostrum? Æquè istum es habiturus, ut quæ in eo desertissimè sunt scripta intellecturus. Redde igitur, quod tuum non est, aut tibi suspendium para. Vale.

F. P. Nicodemo Tranchedino, ducali Senatori. S.

CUM cæteræ virtutes e dolio erupissent, fugissentque, spem solam in ejus fundo relictam finxit antiquitas. Hanc mihi non desinis prædicare, quippe qui des quod accipis. Vereor autem, ne cunctando ea quoque, relictis hominum mendaciis, in cœlum evolet. Vale.

F. P. Bonoaccursio Pisano. S.

CUM nihil respondeas, causam præstas, ut ipse quoque taciturnior fiam, ne a quoquam possim judicari loquacior: aut igitur scribe aliquid tandem, aut causam redde tui diuturnioris silentii. Vale.

Joannis

Joannis Ravisii Textoris Nivernensis, Amico.

PLERUMQUE mihi doluit, quod conveniendi tui nulla ſeſe offeret opportunitas. Eram enim neſcio quæ tibi dicturus, in rem tuam magnoperè ſpectantia. Paucis abhinc diebus pater audivit, te voluptatibus irretitum uſque adeo, & illaqueatum, ut jam virtutes omnes aſpernatus fueris, ac æſtimaveris nihili. Vale.

J. R. Textoris Nivernensis, Amico.

CREDO horam illam fuiſſe mihi fatalem & inauſpicatam, quâ primum Lutetiam veni. Antea nihil mihi deerat, habebam omnia ex animi voto. Eram indutus Holoſerico, Byſſo, & Dalmatico. Ne multis agam, eram totus ſericatus. Nunc verò incidi in tantam paupertatem & penuriam rerum, ut me oporteat domeſticatim victum & oſtiatim emendicare, & manum ad ſtipem porrigere. Vale.

J. R. Textoris Nivernensis, Amico.

QUAMDIU fuiſti probatis moribus, & ſpem bonæ indolis præ te tuliſti, rebus tuis ſemper cônſului: nunc vero, quoniam ablegaſti virtutem, & hominum expectationem de te fefelliſti, interdico tibi domo

domo meâ. Quod minaris mihi satyras & mortem, ego has comminationes non facio pluris, quàm fulgur ex vitro. Si quid in me tamdiu parturis, parias quæso. Tanti facio verba tua, quanti nugas obstetricum, & delirantium jam vetularum. Si nihil pendis quod dico, multo minoris æstimo quod facias. Vale.

J. R. Textoris Nivernensis, Amico.

DEMERUISTI me tibi multis obsequiis: Dii faciant ut mihi liceat aliquando gratiam referre, & agnoscere beneficium. Si velis fieri certior rerum mearum; contineo me domi, neque amplius sequor militiam; partim quod hæc professio non videatur mihi magnæ frugis, partim etiam quod præ senió jam sim emeritus & donatus rude. Quod rogas ut de fratre tuo bene merear, eumque ad viam virtutis reducam, illud factu perdifficile est: jam enim adeo occaluit in suâ nequitiâ, ut nulla sit spes ejus revocandi. Ad hæc, aspectum meum reformidat ac refugit, quanta maxima potest opera. Vale.

J. R. Textoris Nivernensis, Amico.

NON est mirum, si parentes, ignaviam tuam pertæsi, omni ope te destituerint; quoniam (ut accepi) tu quotidie per-

noctas in aleâ: præterea insidiatrices quædam meretriculæ facultates tuas exhauriunt, & crumenam: a quibus nisi caveas, non habebis tandem unde satisfacias tuis creditoribus, & ab eorum ære te eximas. Vale.

J. R. Textoris Nivernensis, Amico.

SÆPENUMERO' multis periculis vitam objeci, ut ab his te redimerem quæ videbantur imminere tuo capiti. Nihilominus, si quando opus est mihi operâ tuâ, subterfugis astutè. Utere tuis astutiis ut voles: futurum enim spero, ut nihil inde fructus consequare. Ad extremum dabis pœnas tuæ ingratitudinis: nam non est credibile, deos hoc scelus inultum relicturos. Vale.

J. R. Textoris Nivernensis, Amico.

DOLENTER & ægrè fero, quod non facias frequentius tui videndi copiam, cum exploratissimum habeas meum in te amorem. Quotusquisque amicorum tuorum prospexit rebus tuis vigilantius quam ego? Te oro, utere amico tuo familiarius. Nullâ in re (quam petiveris) repulsam passurus es. Vale.

J. R.

J. R. Textoris Nivernensis, Amicó.

ADIMAM tibi metum in quo nunc es, & explebo animum gaudio, cum quid dixero quod a receptæ fidei hominibus intellexi. Pater tuus constituerat te exigere suâ domo: exoravi tamen meis precibus, ut propositum hoc immutaret. Da operam, ut eum in amore tui contineas. Nemo enim est mortalium, cui plura debeas, quàm illi. De te (scio) bene merebitur, si hominum expectationem non destituas. Vale.

J. R. Textoris Nivernensis, Amicó.

IN morte patris fingebas te plurimum dolere: verum ea solicitudo bidui solum extitit aut tridui, fuitque ficta, & similis præficarum lacrymis: demum desiisti dolere. Tu non refers par pari; jam patris oblitus es, qui tamen nihil unquam tibi deesse passus est. Dabitur tibi magno probro, si hæc ingratitudo ad aures hominum pervenerit: propterea, fac ut probum decet adolescentem. Vale.

J. R.

J. R. Textoris Nivernensis, Amico.

CUM te objurgo, & impietatis insimulo, quod rarissimè proficiscaris ad templum, culpam tuam excusas, causarisque te esse podagricum. Eo morbo proximè, atque tu, aut etiam æquè (ut juxta mecum ipse nosti) laboro: neque tamen mihi satisfacio aut apud me conquiescere possum, quin tertio quoque die templum adeam, votivas preces DEO immolaturus, persoluturus, & oblaturus. Nemo est æquè spernendus, quam qui pietatis obliviscitur & religionis: amo te plurimum, nec hodie vivit quisquam mihi amicior ac tu. Nisi tamen perspexero te alio ingenio atque olim fuisti, fieri vix poterit quin amicitia nostra refrigescat & minuatur. Vale.

J. R. Textoris Nivernensis, Amico.

MONUI te frequentissimè, ut, relicto studio poetico, ad orationem solutam animum convertas: nam versus tui, quotquot scribis, prodeunt invitâ (quod aiunt) *Minervâ*, & musis collachrymantibus. Nihil est penitùs frugis, nihil quod vel tantillum famæ tibi comparet; quin potius facis te publicam & communem vulgi fabulam: adeò ut jam notissimus apud omnes invaluerit rumor, te esse ve-

lut asinum ad lyram. Multo prudentius ageres, si tuo te pede metireris, nihilqúe, non æquum viribus tuis, assumeres. Vale.

J. R. Textoris Nivernensis, Amico.

NON parùm mihi displices; nec mihi tantùm, at his omnibus qui tecum aliquando versati sunt, quod sis adeò prodigus verborum, ac in tuam ipsius laudem propensus & proclivis. Ante omnia pessimè audis, & magno probro tibi vertitur, quod palam te prædices bellicosum. Comminaris egregiè; verba tua nihil non Martis spirant: at, si quis te aggrederetur, fugam protinùs arriperes, totus animus tibi in pedes decideret. Quod qui norunt, temperare nequeunt a risu, cum audiunt has inanes de te gloriolas. Vale.

Petrus Bembus, Constantino Sylvio. S. D.

ACCEPI epistolam tuam carmenque, quo patriam exornas meam, venustum sanè & facetum, quod me mirificè delectavit. Res tua mihi cordi est, neque de eâ cogitandi curam & studium remittam, quoad perfecero. D. O. M. tibi navigationem istam fortunet. Vale.

Q. A.

Q. A. Symmachus Syagrio. S. D.

MEÆ literæ quoniam acceptæ ſunt tibi, crebrius commeabunt. Nam ut reſpondeas non laboro. Siquidem videtur injurium flagitare officia quæ ſponte religioſus animus pollicetur. Vale.

Q. A. Symmachus Juliano. S. D.

TANTA animi voluptate ſumpſi literas tuas, quas mihi poſt longum detuliſti ſilentium, ut me fateor querelæ prioris oblitum, quià memoriam præteritæ intermiſſionis antiquavit gratia recentis officii. Deinceps ſi tibi cordi ſum, frequenter operam ſcriptionis admitte, viciſſitudine remunerandus & ſermonis & amoris. Vale.

Q. A. Symmachus Ricomeri. S. D.

AMO & ſuſpicio virtutes tuas. Sed accidit, quod tibi etiam amicus invideam. *Flaviano* meo aliquandiu ſolus fueris. Accipe planius, quod velim dicere. Ad te migravit quicquid Romæ optimum fuit, & vobis quidem ſocietas veſtra dabit mutuum gaudium. Mihi quid ſolatii erit? quem & ille deſeruit, & tu minus deſiderabis, quia unus tibi pro utroque ſufficit. Vale.

Q. A. Symmachus ad Promotum. S. D.

HÆrentem me literis impulisti, ut amicitiam, quam dudum tacitus optabam, nunc provocatus excolerem. Amplector futuræ inter nos familiaritatis auspicem voluntatem. Et quamvis præventus voto tuo; enitar, ut potero, ne vincar officiis. Has enim mihi partes video reservatas, ut religio, quæ te hortante sumpsit exordium, me annitente sumat augmentum. Vale.

Q. A. Symmachus ad Stiliconi. S. D.

DIU siluisse me fateor, ut mihi fiduciam scribendi tuus sermo præstaret. Sed cum perspicerem necdum me ullo invitamento officii provocari, prior in verba salutationis erupi, plurimum rogans ut exempli istius imitator esse digneris. Vale.

Q. A. Symmachus ad Magnillo. S. D.

AMICUM meum ad *Brutios* revertentem, literis credidi prosequendum, ut tibi salutationis munus exsolverem, & illi commendationis aliquid exhiberem. Quæso igitur te, ut & meis literis vicissitudo reddatur, & illi defensio plena proveniat. Vale.

3 Q. A.

Q. A. Symmachus Sibidio, S. D.

ÆGER est animus meus, quamdiù fides incerta sit, quod portum sanitatis intraveris. Huic expectationi satisfacias volo. Non enim mihi honorem fieri opto literarum, sed magnæ solicitudinis tribui levamen exopto. Vale.

Q. A. Symmachus Quintiliano.

MORIS mei est benè cognitis approbatisque ferre suffragium; nec personas hominum, sed vitæ merita cogitare. Cum igitur *Assellus* domesticus noster in urbanis castris militiæ stipendia sine offensione confecerit; quæso ut admissus in clientelam tuam, & meum sibi patrocinium profuisse, & tuum accessisse lætetur. Vale.

Olympia Fulvia Morata Joanni Sinapio. S. D.

SI vales, est quod gaudeam: sin ne..-dum satis, doleo. Verum tu, mi *Sinapi*, noli imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur, se tenere medecinæ scientiam, se ipsi curare non possunt. Valetudinem tuam cura diligenter.

O. F.

O. F. M. Joanni Sinapio. S. D.

LONGIOREM epiſtolam paucis ante diebus at te ſcripſi, ità ut nihil opus eſſe exiſtimem, ut de meis rebus cantilenam eandem toties canam. Noſti quid te agere meâ cauſâ in Germaniâ cupiam: non me tibi commendabo amplius, neque mea carmina ut ad regem & ad *Fuggerum* afferas, admonebo. Scio enim omnia tibi curæ eſſe. Bene vale.

F I N I S.






ENZO CAPUOZZO
Piazza
NAPOLI
LEGATORIA

